



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>






4581, 15/4 me 23

S. Polar.

A. 5-8a





FRID.
Rex Poloniar.
etc.

AVG.
Elector Sax.
etc.

J. W. Bernigeroth fecit.

GOTFRIDI LENGNICH
IVS
PVBLICVM
REGNI
POLONI



Schwarz
TOMVS I. *Miller*
1678

NOV 1678
G E D A N I

S V M T V

IOANNIS HENRICI RVDIGER

1742.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

ILLVSTRISSIMO

REVERENDISSIMO

EXCELLENTISSIMO

**ANDREAE
ZALVSCIO**

EPISCOPO CVLMENSI ET POMESANIENSI

CANCELLARIO REGNI MAIORI

ABBATI CZERVENSI ET PARADISIENSI

AQVILAE ALBAE INSIGNI

CONSPICVO

DOMINO MIHI BENIGNISSIMO

D. D. D.

GOTFRIDVS LENGNICH.

THE
MUSEUM
OF
THE
CITY OF
BOSTON
HAS
THE
HONOR
TO
ANNOUNCE
THE
OPENING
OF
THE
EXHIBITION
OF
THE
MUSEUM
OF
THE
CITY OF
BOSTON
ON
FRIDAY
MAY 15
AT
TEN
O'CLOCK
A.M.



*i alia, Reverendissime
Episcopo, causa non es-
set, ob quam, illustre
Tuum nomen, in opusculi huius fronte
legeretur, sola, qua emines, dignitas
sufficeret. Cum enim Cancellarii in
regno nostro legum custodes sunt, li-
ber qui publicum ius tractat, merito*

DEDICATIO.

sub maioris Cancellarii tutelam concedit, ut eodem, quo ipsae leges, praesidio gaudeat & protegatur. Sed praeter hanc causam, quae mihi est communis cum omnibus, qui in eodem scriptiois genere versantur, alia est, quae me, imo Te, proprius tangit, & quam non ad Tuam dignitatem, sed ad Te Ipsum refero. Plures sunt anni, Excellentissime Cancellarie, ex quo me ad Tuam benignitatem admissum, in amicorum numero esse voluisti; possem hic clientis vocabulo uti, sed minuerem Tuam benignitatem, si me ad clientum turbam demitterem, qui me amici nomine, & quidem familiaris, dignari

DEDICATIO.

dignari soles. Toto illo, quod inter-
cessit, temporis spatio, innumera
fere singularis plane in me affectus
sunt documenta, inter quae non po-
stremum duco, a Te, magnis Viris,
regni Proceribus, commendatum, &
si quando de me incideret sermo, hono-
rificam, & longe supra meritum, quod
sane exiguum est, mei mentionem fa-
ctam esse. Habeo etiam quod munifi-
centiae Tuae imputem, & ante bienni-
um Varsoviam arcessitum, in Tuum
contubernium recepisti, ac toto, quod
egi ibidem, tempore, humanissime am-
plexus, ut etiam de rebus gravioris
momenti, semotis arbitris mecum age-

DEDICATIO.

*re velles. Plura non memoro, ne
narrando quanta Tibi debeam, Tuas
verecundiae gravis sim, & quae ex-
posui, satis & abunde demonstrant,
multa & magna in me collata esse; pro
quibus cum parem gratiam referre ne-
queam, quantam possum, omni tempo-
re habeo, & dum vivam, habebo.
Sint, Praesul Reverendissime, prae-
sentes litterae, pietatis meae testes
publicae, quae unum Te loquuntur;
pro opusculo enim, quod litteras exci-
pit, verba facere, illudque Tuo patro-
cinio ambitiose commendare, opus non
est; Tuam fidem appello, qua Tibi
omnia mea quaecumque sint, satis pla-
cere,*

DEDICATIO.

cere, iam olim & saepe numero confir-
masti. Si tamen haec mea proles de-
gener Tibi videatur, exsortem decla-
ra Tuae gratiae ac tutelae; infelix
pater temeritatis poenam graviolem
dare non poterit. Plura de me & li-
bello meo non addo. Tibi, Excel-
lentissime Cancellarie, precor, ut feli-
citatem Tuam perfruaris quam diutissime.
In hoc enim Tuo fastigio, quod per se
conspicuum, AVGVSTI III. qua
flores, indulgentia, altius tollit, tum
pro Tua, quam novi, animi aequita-
te, quid votis adiiciam vix habeo. Est
Tibi in sermonibus, infidet animo, ma-
gnus ille Zamoiscius, qui quam diu

DEDICATIO.

*Respublica nostra, quamdiu virtuti
pretium erit, celebrabitur; huius to-
gatam dignitatem dum sustines, tan-
tum Tibi debeant litterae, quantum o-
lim Zamoiscio, ut bonarum artium
Instauratorem, posteritas Te celebret
& ostendet. Haec recta est ad immor-
talitatem via, ad quam sapientissimus
quisque contendit, & quae Tuis meri-
tis iure debetur.*

Scrib. Gedani d. VI. Octob.

MDCCLXXXII.



PRAE-

PRAEFATIO.



cripserunt ante me, publicum Poloniae ius, *Hartknochius*, *Cbvalcovius*, *Zalaszovius* & qui eos integro saeculo praecessit, *Cromerus*, quorum libri in manibus sunt & leguntur. Non omnibus idem pretium, sed alius alii praefertur; ita tamen, ut in singulis multa desiderentur. Hoc illis est commune vitium, non tamen ipsorum culpa, quod nullus nostra tempora tangat, *Zalaszovio*, qui aetate postremus, dum regnum *Augustus II.* ingreditur, subsistente. Multa vero sequentes anni, aut mutata, aut recens inducta, aut quibus vetera illustrantur, viderunt, quae frustra in superioribus iuris publici scriptoribus quaerimus, cum ipsi per aetatem illa non poterant non ignorare. Ex quo facile patet, quam exigui usus *Cromeri* Polonia sit; post cuius editionem aliam induit faciem Respublica,

PRAEFATIO.

blica, ut *Cromero*, si in vitam redire posset, discendum esset, quod olim alios docuit. Sed non sola sunt, quae illorum auctorum aevum exceperunt, quorum causa arguuntur; sunt alia, quae displicent. Plurima, quae & suis temporibus obtinuerunt, aut silentio transmiserunt, aut tantum delibarent, cum uberiores tractationem mereantur. Contra, inserta quaedam reperimus supervacanea, quibusque in iure publico locus recte negatur. Interdum in antiquatis prolixiores fuerunt, in quibus magis placet brevis. Alia neque a suis incunabulis repetierunt, neque eorum vices memorarunt, quo factum, ut minus sint perspicua, quae penitus intelligi debent. Praeter haec, historia passim neglecta, ex qua iuri publico multa lux accedit; quid? quod quibusdam veteris aevi monumentis destituebantur, quae demum post illos edita, eruditorum usibus serviunt. Transeo in quibus a vero aberrarunt:
lon-

PRAEFATIO.

longum enim esset nec sine taedio, illa
in singulis enumerare.

Credebam ergo, non inutilem fore
operam, quam in regni poloni publi-
cum ius collaturus essem, si vitarem
quae culpantur in aliis, ac quae frustra
in illis quaeruntur, adicerem. Quae
causa, nihil eorum, quae ad praesentem
annum constituta, in quantum me-
moriam non fefellit, omisi; antiquiora
autem nostrae aetatis exemplis illustra-
vi. Quae priores auctores aut plane si-
luerunt, cum tamen illorum tempora
iam obtinerent, aut quasi in transitu at-
tigerunt saltem, ea uberius exposui, ut
in nostra tractatione, interdum integra
capita expleant, quorum ab illis levis
facta mentio. Contra abesse iussi, quae
ad ius publicum nihil pertinent. Quo
refero, quae apud *Hartknochium* de
antiquis Poloniae incolis; de Polono-
rum Regibus & rebus gestis; de regio-
nibus finitimis; de abdicatione Ioannis
Casi-

PRAEFATIO.

modo iunctae, & ex illis quae olim iunctae, aliae plane separatae, aliae feudi vinculo cum reliquo corpore connexae: non tantum provincias memoravi, quae soli adhuc Regi parent, sed eas etiam quae iam in numero amissarum sunt, aut salvo Regis supremo dominio, fiduciaria lege sub aliorum Principum ditionem concesserunt. Ut simul constaret, si qui dubitarent, quale illud ius, quod publicum appellamus, non alienum videbatur, in ipso tractationis limine brevibus illud describere, & fontes ex quibus petendum indicare.

Hæc operis nostri prior tomus continet, quem ita composui, ut perperuis legum & historiae testimoniis uterem, quo quivis intelligeret, me quid sentiant illae, meis verbis reddidisse. Id enim eorum, qui publicum ius tradunt, primum officium merito ducitur, procul a partium studio, nihil ingenio dare, sed

PRAEFATIO.

sed omnia ad leges referre, quae cum scriptae & non scriptae sint, neutras negligere.


Fui in legibus scriptis & non scriptis, quas historia fidelissime servat, citandis continuus, iuris autem publici scriptores, raro admodum advocavi testes, non alia de causa, quam quod excussurus singula, omnis his rivulis, fontes peterem, hauriremque ipse, quod usui esse videretur. Accedebat metus, ne sectando illos, exemplo eorum aberrarem. Quo factum, ut si quando a me consulti, ideo consulti, ne omitterem, quorum mentio in illis reperitur,

Satis de priore tomo dictum existimo, quem posterior, quam primum fieri poterit, sequetur, reliqua publici iuris capita, quae in priore, satis commode locum habere non poterant, daturus. Tu, lector, si quod ex utroque
))((ad

PRAEFATIO.

ad te commodum, illud omne ad AV-
GVSTVM III referas, per CVIVS
indulgentiam, otium nostrum huic stu-
dio impertire licuit: & si civises, si tu-
am, si regni felicitatem intelligis, PA-
RENTI PVBLICO, vitam, incolumi-
tatem, secunda omnia, quam arden-
tissime ultro precaberis. Id enim
unum omnium bonorum votum,
PRINCIPIS SALVS!

Scrib. Gedani d. VII. Octob.
MDCCLXXXII.



INDEX



INDEX CAPITVM.

LIB. I.

Cap. I. De iurē regni Poloni publico generatim. p. 1.

Cap. II. De fontibus iuris publici, & de statutis ac constitutionibus seorsum.

p. 3.

Cap. III. De pactis conventis. p. 9.

Cap. IV. De Paparum bullis & ultima de Abbatiis conventionē. p. 10.

Cap. V. De pactis cum exteris. p. 12.

Cap. VI. De legibus non scriptis. p. 16.

Cap. VII. De regni Poloni provinciis & de Polonia maiore sigillatim. p. 17.

Cap. VIII. De minore Polonia. p. 24.

Cap. IX. De Litvania. p. 29.

Cap. X. De provinciis lege beneficiaria collatis. p. 34.

Cap. XI. De provinciis amissis. p. 43.

LIB. II.

Cap. I. De forma regiminis Poloni. p. 49.

Cap. II. De Rege. p. 53.

Cap. III. De interregno & comitiis convocationis. p. 63.

Cap.

INDEX CAPITVM.

- Cap. IV.* De Regis electione. p. 84.
Cap. V. De Regis electi inauguratione, defuncti, quae inaugurationem electi praecedunt, exsequiis, & quae sequuntur comitiis. p. 169.
Cap. VI. De Regis titulo & maiestate. p. 208.
Cap. VII. De Regis aula & milite praetoriano. p. 215.
Cap. VIII. De ordine aquilae albae. p. 223.
Cap. IX. De insignibus & sigillis. p. 226.
Cap. X. De Regis redditibus. p. 239.
Cap. XI. De iure regio in conferendis dignitatibus & bonis. p. 266.
Cap. XII. De aliis Regis iuribus. p. 328.
Cap. XIII. De religione qua Regi civium iura servanda. p. 355.
Cap. XIV. De amissis a Rege recuperandis. p. 362.
Cap. XV. De summis Neapolitanis Regis curae commendatis. p. 367.
Cap. XVI. De Regina. p. 375.
Cap. XVII. De Regis sobole. p. 401.

IVS



IVS PVBLICVM REGNI POLONI

LIBER I.

CAP. I.

De Iure Regni Poloni publico generatim.

§. I. II. Regni Poloni appellatio omnes provin-
cias complectitur, quae illi tempore & modo
diversis iunctae. §. III. Provinciarum iu-
ra peculiaria. §. IV. V. Ius Regni publi-
cum, eius initia & auctus. §. VI. Iura
cum exteris.

§. I.

Non sola intelligitur Polonia, quando Re-
gni istius fit mentio, sed omnes pro-
vinciae, Poloniae ita iunctae, ut certo
modo unum corpus constituent.

A

§. II.

§. II.

Haec provinciae, non uno tempore, neque eadem ratione, ad Poloniam accesserunt, sed tempore & ratione diversis: quod suo loco demonstrabitur.

§. III.

Habent etiam provinciae in nonnullis sua iura pecuniaria, & sibi propria, quorum breviter & in transcurso fiet mentio, quando e re esse videbitur.

§. IV.

Iura autem quae ad omnes provincias pertinent, ad quorum normam omnes quae Regi Poloniae subsunt, reguntur, ius publicum Polonum constituunt: cuius uberius tractatio sequetur.

§. V.

Ius hoc publicum, non cum ipso regno coepit. Fuit enim tempus, quo Principum voluntas pro lege habebatur, ad quam se cives componerent. Sed cum eorum arbitrium sensim magis ac magis restringeretur, ortum ius publicum, auctumque, donec ad praesentem amplitudinem adolefceret. Singularum partium, ex quibus ius illud veluti corpus conflatum, initia, quantum fieri poterit, suo quaeque loco indicabo.

§. VI.

Intercedunt etiam quaedam cum exteris iura, ex pactis descendunt, quorum commemorationem non alienam a proposito nostro existimo.

CAP.

CAP. II.

De
Fontibus iuris publici & de statutis
ac constitutionibus seorsum.

§. I. *Leges fontes iuris publici.* §. II. III. *Quae vel scriptae vel non scriptae.* §. IV. V. *Statuta & constitutiones. Statutum polon. Herburti.* §. VI. *Statuta Lasconis, Sigismundi I. Prilufii, Herburti latina, Sarnicii, Ianuszovii, Sczerbicii, Patrum piarum scholarum. Statutum Litvanum.* §. VII. VIII. *Constitutiones ex edit. Petricovii & Patrum piarum scholarum. De Karnkovianis in transitu.* §. IX. *Indices constitut. Ladovii, Madalinii, Koludzii. Kozuchowii volumen legum.*

§. I.

Fontes appellamus, unde ius publicum petendum, qui uno vocabulo leges dici possunt.

§. II.

Ad leges quod attinet, diuiduntur in scriptas & non scriptas. Scriptae sunt, quae calamo exceptae, lectorum oculis subiiciuntur: non scriptae, vocantur consuetudines, quae promulgatae nunquam, usu tamen parem cum scriptis auctoritatem obtinuerunt.

§. III.

De potestate legislativa & modo quo leges ferantur, alio loco agetur, in praesens sufficiet, ipsas leges scriptas recensuisse, ex quibus publicum ius peti debeat.

§. IV.

Pertinent eo statuta, constitutiones & Regum pacta conventa. Statutis & constitutionibus praeter publica, plurima quae ad privatorum iura faciunt, tum antiqua ac certo tempore servientia, continentur, ut pars tantum legum illarum ad publicum ius referri possit.

§. V.

Differunt statuta & constitutiones, aetate, qua illa priora & tempus Sigismundi Augusti attingunt, harum autem nomen sub Sigismundo Augusto coepit, & adhuc durat. Neque lingua illis eadem, quod statuta latina, constitutiones polona scriptae. In comitiis a. 1563. & 1564. id negotii I. HERBVRO & duobus aliis datum, ut statuta polonice verterent (*); quod solus HERBVRTVS perfecit, *statutum polonicum* Cracoviae 1570. f. publicans: cuius ea est auctoritas, ut in foro ad illud provocetur.

(*) Constitur. a. 1563. & 1564. p. 41. tit. Przejazenie.

§. VI.

Statuta, iussu Alexandri Regis, IOANNES LASCO, Regni Cancellarius, ad annum 1505. collegit, secutus temporum ordinem, foederibus

bus cum Litvanis ac Pruffis, tum iure civili Magdeburgensi & feudali, ac Raimundi utriusque iuris summa additis (*). Secuta seorsum statuta Sigismundo I. regnante lata, quorum collector ignoratur (**). Ex LASCONE & statutis Sigismundi I. suum opus collegit IAC. PRILVSIVS, additis quae post annum 1538. ad annum 1550. sancita, singula ad suas materias revocans, quas in personas, res & actiones divisit (***) . PRILVSIVM secutus I. HERBVRTVS, cui praeter polonicam paulo ante memoratam, duplicem editionem latinam debemus, quarum prior, PRILVSII distributionem in personas, res & actiones servans, Zamoscii 1557. f. prodiit, posterior statuta instar LEXICI ad seriem litterarum exhibens, Cracoviae 1563. f. excusa; ibidemque, tum Zamosci & Gedani repetita. Suam etiam operam in statuta contulerunt, STAN. SARNICIUS, I. IANVSZOVIVS & PAVL. SCZERBICIUS, additis ad sua usque tempora constitutionibus: quos indicasse in praesens sufficit. Exteristamen SCZERBICIUS placebit, quia totus latinus est. Novissime *Patres* piarum scholarum Varsovienses, cum laudabili studio novam constitutionum editionem pararent, statuta integro volumine, ad temporum ordinem praemisserunt, quod a. 1732. Varsoviae in lucem prodiit. Adiiicio *statutum Litvanum*, quod, quae publici & privati apud Litvanos iuris, polonico sermone continet, materiis in certa capita, his in articulos divisit: quibus ex

statutis & constitutionibus polon. excerpta apponuntur. Quatuor sunt illius editiones, sed praefertur prioribus ultima, Vilnae a. 1693. f. excusa, quae se constitutionum excerptis usque ad annum 1690. commendat.

(*) Cracov. 1506. f.

(**) Prodierunt Crac. 1524. iterum, sed aucta Zamosci 1602. f.

(***) Crac. 1553. f.

§. VII.

Constitutiones, quarum nomen, regnante Sigismundo Augusto, pro statutorum vocabulo obtinuit, ut ex singulis comitiis prodierunt, ab anno 1550. usque 1609. in unum volumen AND. PETRICOVIVS, typographus Regius, collegit, serie paginarum continua, quam piarum scholarum *Patres* Varfavienses margini appositam servarunt, volumine editionis suae secundo, quod totum PETRICOVIANVM continet; idque intelligitur quando in nostra tractatione, volumen constitutionum adiecta pagina citatur. Idem PETRICOVIVS alio volumine constitutiones ad annum 1637. iunxit, sed non una paginarum serie, cum singulis constitutionibus suis sit numerus. Quae has secutae, seorsum comparandae erant, quarum conquisitio cum in dies difficilior evaderet, integrum constitutionum corpus, inter rariores libros haberi coepit, donec ut modo memoratum est, piarum scholarum *Patres* Varfavienses, novam statutorum & constitutionum

stitutionum editionem sex voluminibus curarent, quae cum constitutione a. 1736. finiunt, ultima adhuc, quando nullae ex illo tempore leges latae; binis comitiis, quae celebratae, sine fructu absumtis. Sextum volumen a. 1739. absolutum: optarentque lectores, ut toto opere minor exstaret erratorum typographicorum numerus.

§. VIII.

Sunt etiam in nova hac constitutionum editione, nonnulla, quae olim inter constitutiones locum non habuerunt. Ut alia omittam, leguntur vol. II. p. 809. constitutiones Gedanensibus scriptae, vulgo KARNKOVIANAE vocatae, quae civitate contradicente, a Regiis legatis latae, nunquam in usum deductae & a Rege Stephano a. 1584. abrogatae fuerunt; Senatus Regni auctoritate sequenti anno accedente (*). Quod ideo monendum censui, ne quis civitatis iura ex legibus antiquatis oppugnatum eat, multis acta illorum temporum ignorantibus.

(*) Historia nostra Prussica T. II. p. 399. 403. T. III. p. 434. 454. 455.

§. IX.

Percommode servit constitutionibus, index polonus MAT. MART. LADOVII; a Regni Referendario, Reverendiss. ANDREA IOSEPHO ZALVSCIO, in annum 1726. continuatus (*), cum LADOVIVS suum pensum a 1683. finisset (**). Ante LADOVIVM, MADALINII index

brevior, opera continuatoris **DZIENGIELOVTE** ad a. 1643. prolatus, in manibus erat, quo iam carere licet. Alius est index **AVGVSTIN. KOZVDZKI**, quem *promptuarium legum & Constitutionum* Poloniae & Litvaniae vocat, Poloniae 1695. f. excusus, constitutiones usque ad a. 1690. citans, & alio quam **LADOVIVS** modo ordinatus, Litvaniae etiam legibus a Regni separatis, Quod ad sermonem, auctor statuta latino, constitutiones polono allegat. Neque silendum est *volumen legum* **STANISL. KOZVCHOWII**, qui laudanda opera, constitutiones auctoritatis perpetuae & ad publicum ius potissimum pertinentes, ab a. 1550. ad a. 1726. collegit, easque integras polona lingua, sub suis quamque titulis, ordine litterarum dispositis, exhibet. Commendatum hoc opus in comitiis a. 1726. ubi per constitutionem nonnullis ex Senatorio & equestri ordine iniunctum, ut illud instrarent, & subscriptis suis nominibus, in sequentibus comitiis exhiberent, quo publico scito probari posset. Peracta quidem sunt reliqua, sed opus comitorum conspectum nondum subiit. Nihilominus privilegio Regio, typis auctoris, in eius praedio *Mokrzsk.* 1732. f. editum.

(*) *Inwentarz Koasytucyy Koroanych przez Mac. Marc. Ładowskiego w Lipsku 1733. f.*

(**) *Pr. Varsaviae 1685. f.*

CAP.

CAP. III.

De
Pactis conventis.

§. I. II. *Pacta conventa quae.* §. III. *Quando coeperint.* §. IV. *Olim ante, iam post renuntiationem Regum scribi.* §. V. *Qua lingua componantur.* §. VI. *Constitutionibus inferi.*

§. I.

Praeter statuta & constitutiones, pacta conventa iuri publico inserviunt, quod vel antiqua iura firman, vel nova sanciant.

§. II.

Sunt autem pacta illa, conventiones inter Regem electum & Ordines, quibus & Rex & Ordines obligantur,

§. III.

Exstant quidem, quae Ludovicus & Vladislaus Jagello, Reipublicae promiserunt, nec minus Sigismundus I. filium successorem ad quaedam obstrinxit (*): pactorum tamen conventorum nomen, demum post Sigismundi Augusti obitum auditum, cum certae conditiones, quibus Henricus regnum adiret, inter eius legatos, & Ordines constituerentur.

(*) Comment. noster ad pacta conventa Augusti III. p. 2.

§. IV.

Ex illo tempore pacta scripta, quoties novus
A 5 Rex

Rex crearetur, hoc discrimine, quod, cum ante Michaelem, pacta renuntiationem novi Regis fere semper praecefferint, cum Michaelis oratoribus non prius, quam post renuntiationem transactum fuerit: cuius exemplum & in Successoribus obtinuit.

§. V.

Pacta olim latina lingua scribi solebant, iam polona componuntur, primo exemplo a Vladislao IV. repetendo, quod etiam post ipsum usus probavit.

§. VI.

Inferuntur pacta conventa constitutionibus Augusti III. tamen etiam seorsum legi possunt, quae nostro cum commentario, Lipsiae a. 1736. typis latine exscribi curavimus.

CAP. IV.

De
Paparum bullis & ultima
de Abbatiis conventionione.

§. I. *Bullae Leonis X. Pauli III. Clementis VII. Sixti V.* §. II. *Compositio cum Papa de conferendis Abbatiis.*

Praeter leges scriptas modo memoratas, habent in nonnullis, quae ad sacrum ordinem pertinent, aliquot Paparum bullae locum. LEO X. a. 1515. constituit, ut in Archiepiscopatu Gne-

Gnesnensi & Episcopatibus suffraganeis, Cracoviensi, Vladislaviensi, Pofnaniensi & Plocensi, quaterni Canonicatus totidem non nobilibus, binis Theologiae & Iurium Doctoribus, reliqui autem nobilibus obveniant. Hanc LEONIS X. bullam PAVLVS III. a. 1543. confirmavit, medicinae Doctorem pro Archiepiscopatu Gnesnensi & Episcopatibus singulis adiiciendo (*). CLEMENS VII. a. 1525. mensium Papalium, in conferendis Canonicatibus haberi rationem, iubet (**). Et SIXTVS V. quae de Rege non nisi catholico, eodemque ab Archiepiscopo Gnesnensi renunciando, de non admittendis ad munia sua Archiepiscopis & Episcopis nominatis, nisi a Papa confirmati fuerint, de modo pecuniam in publicas necessitates a sacro ordine conferendi, ac aliis, Synodus provincialis Petricoviensis sanxit, a. 1589. approbat (***) .

(*) Zalazovii Ius Regni Polon. T. I. p. 892 — 901.

(**) Zalaz. l. c. p. 903.

(***) Zalaz. l. c. p. 552.

§. II.

De nominandis Abbatibus, multis annis Regi cum aula Romana controversia intercesserat (*), quae a. 1736, Varaviae, a Nuntio Apostolico Camillo Paolucio & Palatino Sendomiriensi Ioanne Tarlo ita composita, ut asserta reliquis Abbatibus eligendi Abbates facultate, Regi integrum esset, duodecim in commendam, ut vocamus,

con-

conferre, quibus Papa, cum ratam haberet conventionem, decimam tertiam adiecit. Irritis autem ex illo tempore comitiis, compositio lege publica probari necdum potuit.

(*) Comment. ad pact. conv. Augusti III. p. 24.

CAP. V.

De Pactis cum exteris.

§. I. *Pacta cum exteris.* §. II. *Cum domo Austriaca.* §. III. *Imperio Rufforum.* §. IV. *Cum Turcis.* §. V. *Suecia.* §. VI. *Dania.* §. VII. *Rege Prussiae.*

§. I.

Intercedunt Polonis cum exteris Principibus mutua iura, quae ex pactis cognoscuntur,

§. II.

Sunt enim antiqua foedera cum Domo Austriaca, iam decimo quinto saeculo constituta, de amicitia colenda, de commercandi libertate, de ferendis auxiliis, de hostibus & profugis non recipiendis fovendisque, tum aliis: quae antea non semel, & novissime a. 1732) Varaviae, inter Caesaris legatum, Comitem Wilczek, & eos quibus ex utroque ordine a Rege & Republica id mandatum, renovata fuerunt. (*) Exhibetur exemplum huius foederis in nova constitutionum editione T. III. p. 209. f. & aliud

aliud in CHVALKOVII *iure publico* p. 256. Debat de ultima antiquorum pactorum repetitione, ad Regem & Ordines in proximis comitiis referri, ac ea ibidem rata haberi: quod tamen adhuc factum non est.

(*) Comment. nost. ad P. C. Augusti III. p. 40.

§. III.

Cum Russorum imperio, pax aeterna a 1686. coaluit, qua controversiae de titulis & finibus amice compositae (*). Secutum foedus a. 1704. adversus Sueciae Regem, quam diu cum iplo bellum esset, duraturum (**), in quo quae utrinque praestanda, & qui ex bello fructus, describuntur.

(*) Post multos annos pax haec inserta constitutionibus Regni a. 1710. p. 37. f.

(**) Legitur foedus inter eiusdem anni constitutiones. p. 50. f.

§. IV.

Postremum adhuc cum Turcis bellum pax Carolivicensis a. 1699. finiit (*), per quam receptis quae Michaelis tempore amissa, reliqua in antiquum statum fuerunt restituta. Pacem hanc probarunt eiusdem anni comitia (**), ac nova compositio a. 1714. firmavit, nonnullis quae praesenti tempori servirent additis (***)

(*) Zaluscii Epist. Tom. II. p. 764. f. Schmauffii Corp. iur. gent. T. II. p. 1133.

(**) P. 52. tit. Mieysce. p. 56. tit. Relacya.

(***) Theyl-

(***) Theylfii Commentar. ad historiam Caroli XII.
p. 162. 163. 166. *Histor. noſt. Pol.* p. 333.

§. V.

Sigismundi III. tempore, quem Sueci pater-
no regno exuerunt, grave inter eos & Polonos
ortum bellum, induciis interpellatum, & pace,
cui a coenobio Olivenſi nomen, a 1660. com-
poſitum (*). Tum Poloni iure quod ipsis o-
lim in Eſtoniam, & Livonia armis erepta,
praeter portionem aliquam, ceſſerunt. Pacem
novum bellum ſaeculi XVII. fine excepit, hoc,
armis iam ceſſantibus, a 1720. induciae (**),
quae a 1732. Varſaviae, ad normam pacis Oli-
venſis, in perpetuam amicitiam verſae, mutu-
is damnis oblivioni datis, ac ſi hoſtilia non
praeeſſent (***). Superest ut inſtaurata pax,
in comitiis lege publica probetur.

(*) Olivenſis pax conſtitut. a. 1661. p. 41. f.
inſerta, & antea in convocazione Varſavienſi
a. 1660. probata,

(**) *Histor. noſt. Pol.* p. 339.

(***) *Fama Europ. part.* 344. p. 660. 661. 662.
Hiſt. noſt. Pol. p. 343.

§. VI.

Fervente ante Olivenſem pacem cum Suecis
bello, a 1657. cum Rege Daniae foedus in Sue-
ciae Regem Hafniae ſcriptum, etiam poſt bel-
lum duraturum, ut, ſi Sueci alterutrum aggreſ-
ſuri, in eos tanquam communem hoſtem arma
vertantur (*): idque in ſequentibus comitiis
Ordi-

Ordinum consensu firmatum (**). Pactionis huius religio, una ex causis fuit, quae Augustum II. ad bellum in Regem Sueciae moverunt, cum hic arma Regi Daniae intulisset (***) .

(*) I. Augustini Fastorii Laurus actorum publ. p. 120. f.

(**) Constit. a. 1658. p. 2. tit. Approbacya pactorum z Krolem.

(***) Hist. nost. Pol. p. 294.

§. VII.

Pacta Velaviensia & Brombergensia cum Electore Brandenburgico Friderico Vilhelmo, qua Prussiae Duce, a. 1657. constituta, magni sunt momenti, & quamvis in comitiis sequentis anni rata habita (*), mirandum tamen, quod integra constitutionibus Regni inserta non sint: qua ex causa aliunde peti debent (***) . Ex illis patet, quae inter Poloniae & Prussiae Reges mutua iura, & quid invicem praestandum, simul ad eorum normam controversiae amice dirimi debent. Recentior est conventio Varsoviensis a. 1699. (***) , ex qua Prussiae Rex pagos Elbingenses & gemmas aliquot Reipublicae Poloniae, in pignus trecentorum millium nummorum imperialium tenet, quae, cum dudum praestanda essent, adhuc expectantur.

(*) Constit. a. 1658. p. 2. tit. Approb. pactorum z Kurfirstem.

(**) Pufend. de reb. Frid. Vilh. L. VI. §. 77. f.

(***) Za-

(***) Zaluf. Epist. T. II. p. 893. Hist. nost. Pol.
p. 292. 293.

CAP. VI.

De Legibus non scriptis.

- §. I. *Quae leges non scriptae.* §. II. *Harum auctoritas.* §. III. *Quousque vigeant.*
§. IV. *Exempla legum non scriptarum.*
§. V. *De iis controversiae a quo dirimendae.*

§. I.

Leges non scriptae, dicuntur consuetudines, quia litteris non mandatae, solo usu servantur.

§. II.

Earum auctoritas non minor est, quam legum scriptarum, ac tacito eorum consensu nituntur, quorum est, leges ferre & abrogare.

§. III.

Durant, donec aut non usu, aut usu contrario, aut lege expressa tolluntur: ex qua ratione non omnes consuetudines, quae olim, & adhuc videntur.

§. IV.

Occurrunt in iure publico Polono multa, quae ex eiusmodi legibus non scriptis repetenda. Ius illud, quo unus nuntius sua contradictione ob quamcunque causam comitia irrita reddere

reddere potest, quodque magni momenti habetur, non lege aliqua scripta, sed consuetudine nititur; & licet primum exemplum eiusque auctorem Ordines execrati, placuit tamen usu probare, ut a multis *pupilla libertatis* vocetur. In Regum electione, in publicis consultationibus, ac aliis, occurrunt plurima, de quibus in legibus scriptis nihil legitur, quae tamen usu obtinent, ac eadem religione, ac si essent scripta, servantur.

§. V.

- Si de consuetudine controversia, eorum erit statueret, penes quos legislatoria potestas, quod in Polonia factu non adeo facile, quando unus intercedere potest.

CAP. VII.

De

Regni Poloni provinciis

&

De maiori Polonia sigillatim.

- §. I. Regni Poloni in tres gentes divisio. §. II. Harum gentium ordo. §. III. Polonia maior. §. IV. Cui addita Masovia. §. V. Prussia quando & quomodo sub Regis ditiorum concesserit. Regimen eius mutatum. §. VI. De tractu Drabimensi, quem Prussiae Rex tenet. §. VII. Ager Elbingensis. Que iure Rex Prussiae eum possideat.

B

§. I.

§. I.

Regnum Polonum in tres partes dividi solet, Poloniam maiorem, minorem, & Litvaniam: quae divisio in tractatione iuris publici magnam utilitatem habet, quia trium gentium, trium provinciarum, passim mentio occurrit. In comitiis ex tribus gentibus, per vices, Marschalci creantur. Quoties nomine nuntiorum nobilitatis, aliquod negotium tractandum, conficiendumque, aut Rex adeundus, aut colloquia cum Principum exterorum oratoribus habenda, legantur ex tribus gentibus. Quod etiam in Senatoribus servatur, si quid Regis nomine ad couclave nuntiorum defertur, aut ex Senatu nonnullis publica negotia mandantur. Interdum fiunt consultationes provinciales, ubi singulae gentes seorsum deliberant.

§. II.

Vt autem inter maiorem minoremque Poloniam aequalitas servetur, qui ex utraque gente ad res peragendas leguntur, per vices, modo praecedunt, modo sequuntur, ut in unis comitiis, qui ex maiore, in alteris, qui ex minore Polonia, primum locum habeant. Ex eadem causa, inter Palatinatus Posnaniensem & Cracoviensem, qui utriusque gentis primi, eadem vices in loco & censendi ordine obtinent. Litvaniae tertius locus manet perpetuus.

§. III.

Maior Polonia in iure nostro sensu ampliore acci-

accipitur, ut etiam Masoviam & Prussiam contineret.

§. IV.

Masovia, Poloniae ab ipso regni initio pars, post mortem Miecislai II. defecisse sed a Casimiro I. recuperata dicitur. Boleslaus III. a. 1138. Poloniam inter filios dividens, Boleslao, qui inter eos secundus, Masoviam assignavit, cuius filius & successor Lesco, hunc tractum testamento in patrum Casimirum, Cracoviae Ducem, transmisit. Huius filius minor, Conradus, post patris obitum Masoviam obtinuit & posteris reliquit, ut haec provincia suos Duces haberet (*): ex quibus Venceslaus a. 1329. Ioannis Regis Bohemiae cliens factus (**). Ioannis filius Carolus, supremo Masoviae dominio Casimiro M. Poloniae Regi cessit, a quo Siemovitus Masoviae Dux adductus, ut terras suas beneficiaria lege teneret (***) . Extincta a. 1526. Ducum virili stirpe, Masovia Regibus Poloniae plane subesse coepit, & licet rogaretur Sigismundus I. ut Ducem praeficeret Sigismundum Augustum filium, satius tamen duxit, Masoviam, confirmatis eius iuribus, maiori Poloniae a. 1529. iungere (****): Quam Sigismundus Augustus Litvaniae partem efficeret, Polonis intercedentibus, frustra conabatur (*†). Stephanus Masovios a. 1576. in communionem iurium Regni suscepit, nonnullis tamen illorum consuetudinibus salvis (*‡).

(*) Historia nostra Polona p. 12.

(**) Balbinus Misc. R. Boh. Decad. 7. lib. 8. p. 339.
240. 241. Sommersb. Script. rer. Siles. T. II.
in accessionibus p. 5. 6.

(***) Historia nostra Polona p. 22. Balbinus I. 6.
-04 p. 68. Dlugoss. p. 1099. 1199.

(****) Prilufii Stat. p. 799. 888.

(*) Koialov. Histor. Litv. part. II. p. 489. 493.

(*) Vol. Const. p. 294. tit. Mazowka prava.

§. V.

Prussia ab equitibus ordinis Teutonici, qui,
quod crux ipsis insigne erat, Crucigeri vulgo di-
cebantur, ad Casimirum Jagellonidem a. 1454.
defecit, qui eam Poloniae iunxit, ita quidem,
ut praeter Regem, cum Regno nihil commune
haberet, sed suis legibus ageret & regeretur

(*) Idem Casimirus, provinciae a se in quatu-
or Palatinatus dividit, gubernatorem praeficie-
bat, ac cum Crucigeris de possessione acerrimo
bello contendebat, cui a. 1466. pax finem attu-
lit, per quam insignis Prussiae pars ordini Teu-
tonico concessa, reliquam autem Rex retinuit

(**) quae ex illo tempore in ditione Regum
Poloniae mansit, ac praeter Varmiensis Epi-
scopatum, tres Palatinatus, Culmensis, Mariae-
burgensem, & Pomeraniae continet. Quod ad
regiminis modum, ille ab antiquo multum muta-
tus, promulgato a Sigismundo Augusto in comi-
tiis Lublinensibus a. 1569. decreto, quo Prussiae
Episcopi, Palatini, Castellani, Senatus Regni,
nobi-

nobilitas conelava muntiorum Polonorum adscripta, ut Prussi cum Polonis & eadem onera sustinerent, & iisdem commodis fruerentur (***) . Quod a Prussis illo tempore aegre latum, ut publice contradicerent (****) . Ob vicinitatem factum, ut Prussia ad maiorem Poloniam referretur.

(*) Id patet ex incorporationis privilegio, quod inter iura Prussiae legitur, ac in Statutis Lasconis & Prilufii exhibetur. Addantur binae nostrae dissertationes, de norma regiminis Pruteni, & unionis qua Prussia iungitur Poloniae indole.

(**) Pacis huius tabulae habentur in Statutis Lasconis f. 142. f. Prilufii p. 724. & inter privilegia Ordinum Ducatus Prussiae f. 20. f.

(***) Vid. Historia nostra Prussica T. II. in Documentis p. 194.

(****) Histor. Pruss. l. c. p. 197.

§. VI.

Hoc loco non omittenda praefectura Drahimensis, Palatinatus Posnaniensis pars, in finibus Pomeraniae sita, quam Prussiae Rex pignoris iure tenet. Pactis enim Brombergensibus Electori Brandenburgico Friderico Vilhelmo, pro milite auxiliari praestando, centum & viginti nummorum imperialium millia promittebantur, praefectura Drahimensi pignore constituta, ut Elector, si summa post triennii finem non soluta, eam occuparet retineretque, donec pecunia

pecunia repraesentata esset. Cum vero Elector frustra debitum postulasset, post annos decem, a. 1668. praefecturam Drahimensem sibi asseruit, ac ad Successores transmissit. Quam ob rem Michaeli, qui post abdicationem Ioannis Casimiri Rex eligebatur, ac Regibus qui ipsum exceperunt, redemptio Drahimi inter pacta conventa commendata (*). A. 1726. in comitiis Grodnensibus, Posnaniensi & Califfiensi Palatinatibus fuit concessum (**), terram Drahimensem sua pecunia redimere, ac redditibus frui, donec sumtus a Republica restituerentur. Collecta etiam in hunc finem pecunia, sed intercedentibus post Augusti II. mortem turbis domesticis, ac nummis in alios usus erogatis, Drahimum pignore eximi nondum potuit.

(*) Commentar. noster ad P. C. Augusti III. p. 82. 83.

(**) Constitur. a 1726. p. 19. tit. Wykupno.

§. VII.

Eodem, quo Drahimum, iure, Rex Prussiae, in nostra Prussia, Elbingensem agrum, vetus civitatis patrimonium, tenet. Cesserat per memorata pacta Brombergensia, Rex Poloniae Electori Brandenburgico, Elbingam a Svecico praesidio inessam, cum omni eius tractu: sed Electore urbi pecuniam praefereute, conveniebat, ut quadraginta millia thalerorum numerarentur, ac Elector, donec pecunia praestaretur, Elbingam eiusque tractum pignoris loco haberet.

haberet. Pace Olivenſi compoſita, ſtatim ac urbe Sveci exceſſerant, praefidium Polonicum impoſitum, Electore fruſtra eam ſibi tradi poſtulante. Hic, quo pecuniae ſolutionem accelēraret, iure in Elbingam & eius tractum ſponte decedens, centum nummorum imperialium millia remiſit, ut tamen Braunsbergam & Frauenburgum, duo in Varmia oppida, retineret, dum vel reliquum praefaretur, vel pignoris loco Elbinga ſibi traderetur. Sed, neque pecuniam, neque in eius fidem Elbingam obtinuit, licet Epifcopo Varmiēſi ſua oppida ultro reddiſſet. Longioris morae impatiens Fridericus, Friderici Vilhelmi, cum quo tranſactum, filius, Elbingam a. 1698. armis in ſuam poteſtatem redegit. Secuta ſine anni 1699. alia conventio, qua ciuitas reſtituta, & Electori, trecenta imperialium nummorum, intra trium meſium ſpatium poſt proxima comitia promiſſa, ſimul in pignus gemmae ex Regni theſauro traditae: hoc addito, ut, pecunia conſtituto tempore non numerata, Electori, agrum Elbingenſem occupare, eiusque redditibus, donec debitum ſolutum, frui liceret. Uſus iure ſuo Rex Pruſſiae, quo titulo interea Elector Brandenburgicus inſignitus fuerat, pecunia poſt comitia Lublinenſia a. 1703. non numerata, agrum Elbingenſem poſſidere coepit.

Commentar. noſter in P. C. Auguſti III. p. 83.
 Hiſtor. Polona p. 289. 292. 293. 312.

B 4

CAP.

CAP. VIII.

De
Minore Polonia.

- §. I. *Diversi minoris Poloniae fines.* §. II. *Terrae Palatinatus Cracoviensis additae.*
 §. III. *Qsviecimum & Zatoria quomodo accesserint.* §. IV. *Severia emta.* §. V. *Scepusium.* §. VI. *Russia & Volhinia armis subactae & Regno vindicatae.* §. VII. *Lis cum Litvanis de Podolia. Amissa & recuperata.* §. VIII. *Kioviae pars servata.* §. IX. *Podlachia minoris Poloniae portio.*

§. I.

Polonia minor proprie dicta, tres saltem Palatinatus, Cracoviensem, Sendomiriensem & Lublinensem continet, at sensu, quo in iure publico accipitur, fines eius longius se porrigunt.

§. II.

Sed prius quam recenscam, quae regiones minori Poloniae adiectae, dicendum aliquid de Qsviecimensi, Zatorjensi & Severiensi tractibus, qui Palatinatus Cracoviensi aliunde accesserunt: tum de Scepusiensi terra, quae ipsi finitima, & quae ad Poloniam, licet extra illam sita, pertinet.

§. III.

§. III.

Osviecimum, Zatoria & Severia, Silesiae olim partes, in Bohemiae Regis clientela fuerunt. An 1457. Ioannes Dux Osviecimensis, hunc suum Ducatum, Regi Poloniae Casimiro III. quinquaginta milibus marcarum latorum grossorum Pragensium, quorum quadraginta octo unam marcam efficerent, vendidit (*). Eiusdem Regis supremo dominio, se Zatorienſis Dux Venceslaus subiecit, a Rege Bohemiae recedens. Post hunc Ioannes, Ducatum Regi Ioanni Alberto a. 1494. octoginta milibus florenorum Vngaricalium vendidit, ita tamen, ut ipse & uxor, dum viverent, Ducatum retinerent (**). Tandem Osviecimum & Zatoriam veluti Cracoviensis Palatinatus partes, Sigismundus Augustus a. 1564. regno arctius iunxit, ac incolas reliquis Poloniae civibus, suis tamen consuetudinibus salvis, aequavit (**).

(*) Priluf. Stat. p. 793. Sommersb. Script. rer. Siles. T. I. p. 808. f.

(**) Priluf. Stat. p. 789. 790. 797. Sommersb. l. c. p. 810. f.

(***) Constitut. R. a. 1564. Vol. Const. p. 62. f.

§. IV.

Severiam emit a. 1443. a Venceslao, Duce in Silesia Tesſinenſi, Sbigneus Episcopus Cracoviensis, pro episcopatu suo, sex milibus marcarum grossorum Pragensium: quod aegre ferens Boleslaus Oppoliensis Dux, Venceslai cognatus, Palatinatum Cracoviensem armis invasit.

Secutae induciae, & a. 1447. pax, qua Severia, Sbigneo relicta, Episcopatus Cracoviensis portio manfit; quam ob rem eius Praesules Ducis Severiensis titulo utuntur.

Cromerus lib. XXI. p. 329. XXII. 335. Sommersb. Script. Siles. T. I. p. 733. T. II. p. 326. 328.

§. V.

Scepusium Vngarici olim regni tractus, a Sigismundo Vngariae Rege, Vladislao Jagelloni a. 1412. quadraginta sexagenarum latorum grossorum Pragensium millibus, oppigneratum est, promissa quasi in multam pari summa, nisi constituto tempore redimeretur, addita altera, & tertia, si & altero & tertio spatio pecunia non praestaretur: ut Prilusius iam sua aetate crediderit, integri regni pecuniam redemptioni vix sufficere (*). Mansit Scepusium penes Polonos, quod duodecim aureorum millibus Iordano oppigneratum, onere hoc Sigismundus I. exemit (**). Recentiori tempore Lubomirianae domui in usum collatum, ex qua hodie Theodorus Princeps Lubomirius, Cracoviensis Palatinus, possidet, qui & Capitaneus seu Praefectus Scepusiensis vocatur.

(*) Dlug. Hist. XI. 333. Bielsc. Chr. Pol. p. 313. Prilus. Stat. p. 798.

(**) Bielsc. p. 507.

§. VI.

§. VI.

Quod ad alias regiones, minori Poloniae additas, attinet, memorandae primum Russia & Volhinia, quas Casimirus M. a. 1340. armis subactas, Regno iunxit: & cum eas Casimiri successor Ludovicus, ad Vngariam transferre conatus esset, utramque eius filia Hedvigis Poloniae vindicavit, Vngaris, qui infederant, inde pulsus (*). Dein a Vladislao Jagellone & Sigismundo I. sancitum, ut Russia aequo cum caetero Regno iure habeatur (**). De Volhinia autem inter Polonos & Litvanos, pro parte magni sui Ducatus eam habentes, lis orta, quae maxime Casimiro III. regnante fervebat: quam Sigismundus Augustus, publico in comitiis Lublinsibus a. 1569. scito composuit, Volhiniam Poloniae asserendo (***) .

(*) Dlug. IX. 1058. 1059. 1150. X. 37. 126.

(**) Prilus. Stat. p. 704.

(***) Constit. R. a. 1569. vol. Const. p. 155.

§. VII.

In eodem numero est Podolia, quam a Casimiro M. regno acquisitam, Vladislaus Jagello, a. 1396. Melstinio Palatino Cracoviensi, & a. 1403. fratri suo Boleslao Svidrigalo, ex Litvaniae Ducibus, beneficiaria lege contulit. Hic cum sequenti anno ad Teutonicos equites in Prussia decisset, Podolia sub ditionem Polonorum rediit. Tum Litvani, provinciam quasi unam
ex

ex suis sibi reddi exegerunt, & licet Sigismundus Starodubscius, a Vladislao Jagellone magnus Dux Litvaniae constitutus, publicis litteris fateretur, Podoliam iuris Poloni esse (*), nihilominus Litvani in sua postulatione per tempus aliquod perstiterunt, Polonis non cedentibus. Mansit penes hos Podolia, usque ad Michaellem Regem, sub quo eam cum Cameneco, insigni propugnaculo, Turci armis occuparunt, a quibus Augusto II. regnante, per Carolivicensem pacem integra restituebatur.

(*) Dlugoss. X. 150. 177. 182. XI. 615. XIII. 38. T.

§. VIII.

Referebatur olim tota Kiovia ad minorem Poloniam, de qua cum pariter Polonis cum Litvanis lis intercederet, finiit controversiam Sigismundus Augustus, Kioviam Polonis in Lublinsenibus comitiis a. 1569. vindicando (*). Recentiori autem aetate, praeter portionem aliquam, Moscico imperio accessit, quod demonstrabimus, quando de provinciis amissis acturi.

(*) Vol. Constit. p. 162.

§. IX.

Supereff Podlachia, de qua non minus Poloni & Litvani contenderunt, & quam idem Rex Sigismundus Augustus, in iisdem comitiis Lublinsenibus, Poloniam esse provinciam edixit, ad
Vla-

Vladislai Jagellonis & filii tempora provocans, quibus Regni pars fuisset, & a quo Casimirus Jagellonides eam segregasset (*). Litvani contra, nequicquam tamen, affirmabant, sibi paruisse Podlachiam, antequam ad Regnum accederent, & ereptam a Masoviae Duce Boleslao, mox auspiciis Casimiri Jagellonidae, cum adhuc magnus Litvaniae Dux esset, recuperatam fuisse (**).

(*) Vol. Conf. p. 149.

(**) Koialov. histor. Lit. part. I. p. 399. part. II. p. 179. 185.

CAP. IX.

De

Litvania.

§. I. Poloni & Litvani, diversi olim, a Jagellone foedere iuncti. §. II. Ex quo tempore, Litvani modo suis Ducibus, modo solis Poloniae Regibus paruerunt. Utraque gens perpetuo ab uno Principe regenda. §. III. Diplomata, quae coniunctionem firmant. §. IV. Arctissimam Sigismundus Augustus perfecit, cuius modus describitur. §. V. Livonia ad Litvaniam, deinde simul ad Poloniam accedit. Curlandiae & Semgalliae Dux.

§. I.

Fuit quondam tempus, quo Litvaniae cum Polonia nihil commune, sed per se amplissimum terrarum tractum continens, a suis Ducibus regebatur. Inde, ut solet inter vicinos & infestos, frequentia bella, mutuae caedes & populationes, donec a. 1385. Jagello, regnum & Reginae nuptias, sine quibus regnum sperare haud poterat, ambiens, Litvaniam, ut Poloniae iungeretur, offerret. Tum texti coepit vinculum, quod Litvaniam Poloniamque tandem strictissime coniunxit.

§. II.

Cum enim Jagello & Reginae & regnum obtineret, iuncta est Poloniae hoc modo Litvania, ut nunquam ab illa distraheretur. Praeficiebat tamen novus Rex, Vladislaus, cum sacro fonte in christianum ablueretur, dictus, Litvaniae fratrem Casimirum Skirgellonem, titulo magni Ducis, cum ipse supremus Dux appellaretur. Post hunc & alii magni Duces a Vladislao Jagellone constituti, post cuius mortem Litvani non exspectantes, ut Poloniae Rex Ducem crearet, ipsi sibi ultro imposuerunt; quod exempla Casimiri Jagellonidae, Alexandri, & Sigismundi probant: qui cum iam essent magni Litvaniae Duces, Reges Poloniae renunciati, simul manserunt Duces, neque alii hanc dignitatem mandarunt; nisi quod Sigismundus, a Litvanis a. 1529. impetraret, ut filius Sigismundus Augustus magnus Dux declararetur. Hic pariter Rex Polo-

Poloniae creatus, utramque dignitatem usque ad obitum gessit, neque post illum separata fuit unquam, sed prius sancitum, ut qui Rex Poloniae, una Litvaniae magnus Dux esset, & eadem electio, quae Polonis Regem, Litvanis Ducem daret.

§. III.

Antea, a. 1401. proceres & nobilitas Litvana, habito Vilnae conventu, Regi & Regno Polono, auxilia contra quosvis hostes, & studia in procurandis commodis perpetua, promiserunt, pari a Polonis officio sibi invicem praestando; addito, post mortem Vitoldi, soli Vladislao Jagelloni, Regno iunctos se parere velle, nec alium dominum recipere. Quod si vero Vladislaus ante Vitoldum, sine prole obiret, Ordines Poloniae absque Vitoldo & Litvanis, Regem eligere non debere, coniunctione inter utramque gentem in omne tempus salva (*). A. 1413. conventu Polonorum & Litvanorum, in oppido Hrodlo ad fluvium Bug, celebrato, publicis litteris coniunctione aeternum iterum firmata, ac repetitis, quae praestanda, auxiliis, constitutum, ne Litvani post mortem Vitoldi alium Ducem colerent, quam qui ipsis a Rege, procerum utriusque gentis consilio, praeficiendus esset, & ut vicissim Poloni, mortuo sine liberis Vladislao Jagellone, consilio Vitoldi Litvanorumque, Regem sibi eligerent; comitia autem communia, quoties e re visum esset, Lublini aut Parczoviae haberent. Quibus

bas aliâ de iuribus Litvanorum, ad Polonorum exemplum; ac de insignium consanguinitatisque consortio, in quod illi a Polonis recepti, adiciebantur (**). Quae in Hrodlenfi oppido sancita, a Litvanis a. 1499. in suo conventu Vilnae repetebantur, hoc adiecto, ut proceres & nobiles Poloni, ad magni Ducis, Litvani ad Regis Poloniae, electionem vocarentur (***)

(*) Last. Stat. f. 128. Prilus. Stat. p. 690. Koial. Histor. Lit. part. II. p. 66.

(**) Last. f. 125. f. Prilus. p. 686. Koial. p. 91. f. Dlug. XI. 337. f.

(***) Last. f. 130. f. Prilus. p. 692. f.

§. IV.

Denique Sigismundus Augustus, solus ex virili stirpe Iagellonica superstes, & sobolis spectestitutus, laboravit, Polonos & Litvanos ab uno Principe regendos arctius iungere, ne, si post suam mortem, illi Regem, hi magnum Duxem, ex diversis domibus peterent, per diffidia vetus vinculum dissolveretur. Postquam antea frustra tentatum, opus hoc in Lublinensibus comitiis a. 1569. eo modo perfectum, ut defuncto Sigismundo Augusto, Poloniae & Litvaniae, veluti uni ex duabus gentibus conflatae Reipublicae, unus Rex, a Polonis & Litvanis simul eligendus praecesset, qui eodem tempore Poloniae Rex & Litvaniae magnus Dux declararetur; ut Regis ius in Litvaniam haereditarium, quo

quo ipse iam cesserat, nulli servire, neque conjunctioni officere posset; ut a novo Rege post inaugurationem, unis litteris Polonorum Litvanorumque iura confirmarentur; una ab utraque gente comitia, Litvanis, inter Senatores & nobilitatis Poloniae nuntios, locum habentibus, celebrarentur; altera gens alteram adiuveret quo superiorum Regum privilegia, & quicquid olim sancitum inductumque, a successoribus servaretur; nulla foedera cum exteris inirentur, aut legati ad externos, sine utriusque gentis consensu mitterentur; moneta in Regno & magno Ducatu eiusdem pretii cuderetur, ac in aliis Poloni & Litvani pares haberentur. Ab illo tempore, non alius Litvanis magnus Dux, quam qui Polonis Rex fuit, & ambo populi unam Rempublicam effecerunt, in cuius salutem, veluti communem, consilia & opes contulerunt.

Vol. Constit. p. 169 - 180. Koial. p. 487. f.

§. V.

Divisio Litvaniae, in Litvaniam proprie dictam, Ruffiam albam, & Samogitiam, in iure publico nullum praestat usum: maioris momenti est Livoniae accessio, quae a 1561. certis legibus iuncta, ut transdunana soli magno Litvaniae Duci pareret, cisdunana suum Ducem, Curlandiae & Sempalliae, titulo magni Ducis, penes quem summum imperium esset, fiduciarium, haberet (*). Pacta haec a 1567. repetita ac passim illustrata fuerunt (**).

C

Arctiori

Arctiori inter Poloniam & Litvaniam a. 1569. perfecto vinculo, Livonia simul Poloniae adiecta, ut utriusque esset provincia (***) , & Curlandiae Dux, Regni pariter Princeps beneficiarius existeret (****). Postea omnis fere transdunana Livonia amissa, ut exigua tantum portio, Poloni iuris, superfit; de qua iactura C. XI. agetur.

(*) Koialov. Histor. Litv. part. II. p. 447. f. Chytraci Saxonia p. 529. 974.

(**) Koial. I. c. p. 479. f.

(***) Vol. Const. p. 182.

(****) Constitut. editio nova. T. II. p. 806.

CAP. X.

De

Provinciis lege beneficiaria collatis.

§. I. Prussia Brandenburgica feudum olim Polonium & Ducatus. Quomodo Marchionibus in Franconia Brandenburgicis, & post hos, eiusdem domus Electoribus obvenerit. §. II. Feudum in tempus sublatum. §. III. Ducatus, prioribus pactis salvis, in regnum evectus. §. IV. Butavia & Leoburgum, Prussiae polonae tractus, Ducibus Pomeraniae in feudum dati. Reversos ad antiquam conditionem, Elector Brandenburg. eodem

eodem iure, quod olim Pomeraniae Duces, accepit. §. V. Gothardus primus Curlandiae Dux, cum posteris masculis Regis cliens: Lex de tollendo post stirpem Gothardi virilem Ducatu. §. VI. Conatus Curlandorum, ut etiam post Gothardi posteros a suo Duce regantur; qui a Rege & Republica pro irrito habetur. Feudum ultimo ex Gothardi stirpe collatum. §. VII. Bironius Comes, Curlandis Dux datus. Quam subito eius fortuna conversa. Curlandi sine Duce.

§. I.

Fuit quondam Prussiae pars, quae domui Brandenburgicae obvenit, Brandenburgica inde dicta, Regni Poloni beneficium. Iam pace Thoruniensi a. 1466. convenerat, ut ordinis Teutonici Magister, in cuius ditione illa Prussiae pars manebat, Regi Poloniae suam fidem iureiurando obstringeret: quod cum Fridericus Saxoniae Dux & Albertus Marchio Brandenburgensis, ambo ordinis Magistri, detrectarent, cum Alberto, qui Friderici successor, armis certatum. Bellum induciae, has a. 1525. pax sequebatur, qua Albertus, ex Magistro ordinis Teutonici, Prussiae Dux evasit, cui Prussia, Ducatus vocabulo, a Rege Sigismundo L. in feudum collata, ut ipse & eius soboles mascula, post hanc fratres, Georgius, Casimirus, Ioannes, Brandenburgici in Franconia Marchiones, cum posteris suis eiusdem se-

xus, pari iure tenerent; Alberti autem & fratrum stirpe mascula extincta, feudum definiret, & Prussia soli Regi Poloniae subesset (*). Alberto successit filius, qui ipsi unus erat, Albertus Fridericus, cui, quod mente imbecillus, Georgius Fridericus, Marchio in Franconia Anspacensis, Alberti senioris fratris filius, iunioris proximus cognatus, a Rege Stephano curator, & Prussiae administrator datus. Hic ante Albertum Fridericum a. 1603. mortuus, stirpem Marchionum in Franconia finiit, & in eius locum, Rex Sigismundus III. Brandenburgicum Electorem Ioachimum Fridericum, a. 1605. curatorem & administratorem constituit, hocque intra triennium defuncto, utrumque munus, filio Ioanni Sigismundo Electori, contulit. Secutum Prussiae feudum, solenni inauguratione a. 1611. Alberto Friderico adhuc vivente, ac datum succedendi ius Electoris posteris masculis, post hos eius fratribus, eorumque virili stirpi (**). Hoc modo Prussiae feudum, veteribus in Franconia Marchionibus extinctis, ad Electores Brandenburgicos, sanguinis eiusdem, transit.

(*) Prusl. Stat. p. 762. Privilegia Ordinum Ducat. Pruss. f. 32. p. 2. f.

(**) Historia nostra Pruss. T. IV. p. 362. T. V. p. 36. 52. 53. Acta & decreta Commissionis Regiae in negotio Pruss. Constit. a. 1611. adiecta p. 43.

§. II.

Memorati Ioannis Sigismundi nepos, Fridericus Vilhelmus, a. 1657. per pacta Velavienſia Regis Poloniae clientela exſolvebatur, ut ipſe, & omnes qui ex ipſo maſculi, Pruffiam ſupremo iure teneret; poſt hos vero, provincia ad Regem & Regnum Poloniae rediret, praecipua tunc ratione cognatorum Marchionum in Franconia, Culmbacenſium & Anſpacenſium; habenda, ut iis ante alios, Pruffia ad veterem feudi formulam, conferatur. In hunc eventum placuit, ut quoties novus Dux regimēn adiret, praefentibus Regis Poloniae legatis, a Pruffis iuraretur, ſe, nullo ex Friderici Vilhelmi poſteris ſucceſſore maſculo, Regem & Rempublicam Polonam pro ſolis Dominis habituros. Accedebat Regis ſponſio, Pruffiam Marchionibus in Franconia lege beneficiaria collatum iri, quamprimum ſub ditionem Poloniae redierit. Ob hanc cauſam Pruffiae illi inter provincias in feudum conſeſſas locum dedimus, quod auctoritate pactorum, ad priorem conditionem, quae iam mutata, reverti poſſit.

Pufend. de reb. Frid. Vilhel. lib. VI. §. 78. 82.

§. III.

Eadem Pruffia, ſub Friderici Vilhelmi filio, Friderico, ex Ducatu in Regnum evehebatur: quod ſolicitos reddidit Polonos, licet novus Rex, cum ante, tum poſt inaugurationem ſuam, ſcripto declaraffet, ſalva manſura Velavienſia pacta,

paſta, nec ullum ex nova dignitate metuen-
dum eſſe incommodum (*). Orta hinc con-
troverſia, necdum compoſita, ob quam legati
Poloni aſſeſſe nequeunt, cum Pruſſi ſuis Regi-
bus ſacramentum dicunt, quorum tamen prae-
ſentiam paſta Velavienſia exigunt. Quo factum,
ut Friderici, primi Regis, Filio & Nepoti, Fri-
derico Vilhelmo & Friderico, iuratum, cum
nullus Regis & Reipublicae Poloniae nomine ad-
eſſet.

(*) *Historia noſtra Polonia* p. 299.

§. IV.

In Pruſſia Polonia duo ſunt tractus, Butavi-
enſis & Leoburgenſis, Palatinatus Pomerelliae
partes, qui tempore belli, poſt Pruſſorum de-
fectionem cum Equitibus Teutonicis geſti, tu-
telae Erici, Ducis Pomeraniae, committebantur,
ut, ſi quando repeterentur, redderet. Sed non
tantum manſerunt in Ducum Pomeraniae pote-
ſtate, verum etiam Sigismundus I. Poloniae
Rex, Georgio & Barnimo, ſororis ſuae filiis,
a. 1526. tractus hos beneficiaria lege contulit,
ſimul a poſteris maſculis poſſidendos, quibus
non exiſtentibus, ad Regem Poloniae redirent
(*). Contigit id a. 1637. Bogislao XIV, qui
virilis ſtirpis ultimus, mortuo, ac reſtituti bi-
ni tractus ſuo Palatinatui, a quo, poſt viginti an-
norum intervallum, iterum diſtrahebantur. An-
no enim 1657. per Brombergienſia paſta, Ele-
ctori Brandenburgico, Friderico Vilhelmo,
eodem

eodem modo, quo olim Pomeraniae Duces obtinuerant, in feudum ad omnes posteros mascululos tradebantur, ut tamen orientelae renovatio, litteris ex Regni cancellaria tradenda, quoties novus Rex inauguraretur, aut brevi post inaugurationem tempore, missis legatis pereretur (**).

(*) Histor. nostra Pruss. T. I. p. 8. Prus. Stat. P. 787.

(**) Pufend. de reb. Frid. Vilh. lib. VI. §. 80.

§. V.

Colunt supremum Regis Poloniae dominium Curlandia & Sempgallia, quae quondam Livoniae partes, soli ordinis Eniferorum Magistro paruerunt, donec Gothardus Kettlerus, Magister illius ordinis ultimus, a. 1561. caeteram Livoniam Regi Sigismundo Augusto, qua magno Litvaniae Duci, traderet, & Curlandiam Sempgalliamque sibi pacisceretur, ut eas Ducis fiduciarium titulo, ad modum Ducis in Prussia, teneret, & ad posteros virilis stirpis transmitteret (*). A. 1569, idem Dux, cum suis Ducatibus, simul Poloniae iungebatur, ut Regi, cui ut magno Duci paruerat, etiam qua Regi subesset, & non tantum ad Litvaniae, sed simul ad Regni tutelam pertineret, privilegiis & immunitatibus, in quantum iuribus Regni non adversarentur, salvis (**). Post hanc mutationem, Gothardus demum a. 1579. in verba Regis Poloniae iuravit, cum

in castris ad Disnam, prope fines Litvaniae, solemniter feudum reciperat (***) . Quia autem Ducatus Gothardo & eius posteris masculis concessi, secuta a. 1589. constitutio, ut illis extinctis, Curlandia & Sempgallia, sine Duce, ad exemplum Livoniae, solum Regis imperium coleret (****) .

(*) Chytraci Saxonia. p. 531.

(**) Constitut. nova editio T. II. p. 806. Henningii Chron. Liv. f. 49.

(***) Heidenstein Rer. Polon. p. 129. Henning. f. 69.

(****) Vol. Constit. p. 512. tit. Xięstwo.

§. VI.

Cum ergo virili Kettlerianae stirpi occasus immineret, uno Ferdinando, qui senex & caelebs, superstite, Curlandi anxii, ne post illius mortem, Ducatus in formam Palatinatum Polonorum redigerentur; tum in locum Kettlerorum aliunde Ducem substituendi ius sibi asserentes, a. 1726. Mauritium, Saxoniae Comitem, ex Regis Augusti II. sanguine, vivi Ferdinandi successorem elegerunt (*). Non tulerunt Rex & Ordines, neglecto interdicto, Curlandos electionem festinasse; quam in comitiis Grodnensibus, eiusdem anni, irritam declararunt; addito, ut post Ferdinandi sine macula prole decessum, Curlandia & Sempgallia, reliquis iuribus integris, sine Duce, sub solo Rege,

Rege, Regno & Litvaniae arctius iunctae essent (**). Missi hinc auctoritate eorundem comiti-
 tiorum, a. 1727. ex Senatorio & equestri ordine
 in Curlandiam, qui futuram regiminis for-
 mam, quando nullus Dux existeret, descri-
 pserunt: regimine tamen Ferdinandi salvo,
 cui etiam utriusque Ducatus, quod nondum
 receperat, feudum, solenni ritu, in suo lega-
 to, Bulavio, a. 1731. Varsaviae a Rege confe-
 rebatur (***) . Datum enim hoc Ducis pro-
 vectiori aetati & meritis, ut non ipse veniret,
 sed legatum mittere posset, quamvis constitu-
 tio a. 1683. praesentiam exigeret (****).

(*) Historia nostra Polona p. 340.

(**) Constitut. a. 1726. tit. Diploma p. 2. tit.
 Xięstwo. p. 4.

(***) Histor. nost. Pol. p. 342. 343.

(****) Constit. a. 1726. p. 4.

§. VII.

Sed ad Curlandorum supplices preces, quas
 Russorum Augusta, Anna, fulciebat, muta-
 tum in comitiis Varsaviensibus a. 1736. quod
 ante decennium Grodnae obtinuerat, ac nova
 lege sancitum, ut defuncto sine filio Ferdi-
 nando, Ducatus nihilominus a suo Duce re-
 gerentur, cui Rex ad veterem usum feudum
 esset collaturus, cuiusque dignitas ad posteros
 eius masculos transfiret (*). Decedebat a.
 1738. Ferdinandus fere octogenarius, pauco-
 rum annorum maritus, sed orbus; & Rex
 iteratis

iteratis Curlandorum precibus annuebat, ut Ernestus Ioannes, Comes Bironius, eques Curlandus, a Rufforum Augusta, cuius supremus cubiculi praefectus erat, commendatus, Dux esset, ac qui ex illo mares, succederent. Antea scriptis fuit certatum, de Curlandorum, Ducem suum eligendi, facultate, quam negabant Poloni, quod in primis cum Gothardo Kettlero pactis, nulla electionis, sed saltem successione, quamdiu ex eius stirpe mares, mentio fieret. Nihilominus fuit Mitaviae quaedam electionis imago, collataque in Bironium Comitem suffragia, a Rege & Republica Polona minime probata. Sed ut Curlandis ad suas preces & Rufforum Augustae commendationem Dux contigerat, ita etiam Eiusdem Augustae, Annae, amicitiae ac publicis commodis datum, ut a. 1739. novus Dux absens, in oratore suo, Finkio, ritu beneficiario, Varaviae inauguraretur. Quantam autem conversionem fortuna huius Ducis ante finem anni 1740. subierit, cum Imperii Ruffici, post mortem Annae Augustae, administrator, paucarum hebdomadum spatio, ex summo fere fastigio deturbatus, in custodiam daretur, & exul cum uxore & liberis in Siberiam deportaretur, nemo ignorare potest, cum res in omnium sit sermonibus. Carent hinc Duce suo Curlandi, quorum regimen, Regis auctoritate, a supremis consiliariis exercetur.

(*) Constit. a. 1736. p. 100. tit. Kurlandya.

CAP.

CAP. XI.

De
Provinciis amissis.

§. I. *Silesia Poloniae olim pars.* §. II. *Cuietiam sub suis Ducibus iuncta mansit. Clientela Regis Bobemiae.* §. III. *Cedunt iure in Silesiam Poloniae Reges. Quae ad Poloniam redierint partes.* §. IV. *Livonia trans Dunam sita tota fere amissa.* §. V. *Smolenscum, Severia, Czernichovia ad Moscos redierunt. Addita urbs Kiovia & Ucrainae pars.* §. VI. *Ius in Moldaviam & Valachiam quando desierit.*

§. I.

Inter terras amissas, primo loco Silesiam ponimus, quam post Miecislaum II. Principe suo destituta Polonia, Bohemi sibi subegerunt, sed Casimiro I. restituerunt. Boleslaus III. divisit inter filios a. 1138. regionibus, Vladislao natu maximo, praeter alias, Silesiam assignavit. Hic postquam bello domestico, a fratribus omni patrimonio exutus, Boleslaus IV. qui inter fratres, Vladislao aetate proximus, cum Cracovia Silesiam obtinebat. Vladislaus exul, imploravit quidem Caesarum, Conradi III. & Friderici I. auxilium, sed antequam terras, quibus pulsus, recipere posset, in Germania obiit. Huic tres filii

filiis superstitibus, Boleslaus, Conradus & Miecislavus, quibus Poloniae Dux Boleslaus IV. Silesiam reddidit. Tum provinciam Vladislavii filii inter se diviserunt, & Conrado sine sobole mortuo, a fratribus orti Duces, qui in plures stirpes segregati, Silesiam aliquot saeculis rexerunt.

Histor. nost. Polona p. 2. 9. 10.

§. II.

Nacta hoc modo Silesia suos Duces, nihilominus Poloniae, cuius pars fuerat, manebat iuncta. Inde Silesiae Duces, cum Poloniae Principibus in commune consultasse; arma sua iunxisse; tutelam aetate minorum suscepisse; de successione in terras maioris minorisque Poloniae certasse, Cracoviensem & alios tractus obtinuisse, leguntur. Non tamen existimandum, quasi lege fiduciaria Silesiam habuerint, quam supremo dominio, eodemque iure, quo maioris & minoris Poloniae, tum Masoviae Principes, illo tempore suas regiones, tenebant, donec a Polonia sensim secedentes, suas terras, Regi Bohemiae in clientelam traderent, quas ipsi sub illo regerent. Ad quam mutationem, Duces muneribus, promissionibus, rationibus minus idoneis, nec non armis, permotos fuisse, *Anonymus Archidiaconus Gnesnensis* (*) perhibet. Primus fuit Dux Oppolienfis qui a. 1289. tutelam Regis Bohemiae amplexus, cuius exemplum Vratislaviensis, Lignicensis, Opa-

Opaviensis, Teschinenfis, Glogoviensis, & alii, diversis quamvis annis, sequebantur (**).

(*) Sommersb. Scriptor. rer. Siles. T. II. p. 104.

(**) Histor. nost. Polona p. 18. Balbinus Miscell. R. Boh. Dec. I. lib. 8. p. 214. f. Sommersb. Scriptor. rer. Siles. T. I. p. 804. f.

§. III.

Tum de Silesia, inter Poloniae & Bohemiae Reges lis, quae ut componeretur, misit Casimirus M. a. 1335. Trencinium legatos, a quibus declaratum, Regem suum eiusque haeredes, sub poena *excommunicationis* nullo modo Silesiam sibi vindicaturos: Ioanne Bohemiae Rege, eiusque filio Carolo, titulo Regis Poloniae, quo Ioannes usus, ac iure in regnum illud, vicissim cedentibus. Idem legati, iureiurando fidem suam obstrinxerunt, quicquid a se promissum, Regem publicis litteris ratum habiturum: quod a. 1339. factum. Memoratus autem Carolus, post patrem, Bohemiae Rex, a. 1355. regno suo Silesiam in perpetuum iunxit, & Casimiri M. successor, Ludovicus, a. 1372. iurisiurandi religione, suo, uxoris, haeredumque nomine, spondit, neque Silesiam, neque aliam quamcunque Bohemiae provinciam, sibi arrogaturos, neque admissum iri, si qui sponte sua, sub ditio- nem Regum Poloniae, redire vellent. Antea tamen

tamen a. 1343. Casimirus M. Fraustadium cum suo agro armis recuperavit; post Ludovicum autem Severia, Ofwiecimum & Zatoria, Silesiae partes, ad Poloniam reverterunt: ut C. VIII. §. I. IV. dictum.

Historia nostra Pol. p. 21. 24. Sommersb. I. c. p. 774 - 778. Balbinus I. c. p. 34. 55. 194.

§. IV.

Livonia transdunana, de qua C. IX. §. V. quaedam occurrunt, tempore Sigismundi III. fere tota amittebatur. Orto enim cum Carolo IX. Svecorum Rege bello, quod cum filio Gustavo Adolpho continuatum, hostes Livoniam, quae trans Dunam, subegerunt, praeter partem, quae adhuc Poloniae ditionis est, exiguam admodum, si cum caetera conferatur. Per inducias a. 1629. & 1635. Svecis Livonia relicta, qua, cum iure in Estoniam & insulam Oeseliam, Poloni a. 1660. Olivenfi pace in perpetuum cesserunt (*). Erat quaedam recuperandi Livoniam spes, cum novissimo bello Svecico, foedus cum Petro I. Imperatore Rufforum constitueretur, quam vanam fuisse exitus probavit.

(*) - Histor. nost. Pol. p. 143. 156. 204. 313.

§. V.

Obtinuit a. 1618. Sigismundus III. per quatuordecim annorum & sex mensium cum Moëcis inducias, Smolenscum, Severiam & Czernicho-

nichoviam, quos tractus, additis cum suis agris aliis oppidis, Vladislaus IV. Regno servavit, cum repetitum bellum pace a. 1634. componeret. Sed Ioannis Casimiri tempore, recuperarunt Mosci regiones, quibus olim cesserant, & induciis Andruszovienfibus a. 1667. retinuerunt, Ucraina trans Borysthenem cum Cosacis incolis suis, in perpetuum, & Kiovia per biennium, additis: quod pace a. 1686. ita firmatum, ut cum reliquis & Kiovia aeternum in Moscorum ditione maneret, sic ut ne quidem titulis earum regionum, Reges Poloniae uterentur, quoties litteris cum aula Russica agerent.

Hist. nost. Pol. p. 122. 153. 221. 261. *Constit.*
a. 1710. p. 37.

§. VI.

Moldaviae & Valachiae Principes, qui vulgo Palatini vocantur, olim Regis Poloniae supremum dominium reverebantur. Primum a. 1386. Valachiae Palatinus, Petrus, ultro in clientelam Regis Vladislai Jagellonis concessit. Sed rediisse videtur ad Regem Vngariae, cuius supremam potestatem antea coluerant Valachi, quod illorum Palatinum, a Rege Vngariae desciscentem, Regi Poloniae a. 1396. se iterum subiecisse legimus (*). A. 1403. Alexander & Romanus, Petri filius, a Svidrigalo, Litvano Duce, captus, nec alia conditione dimissus, quam ut in clientela maneret, fidem suam Regi obstrinxerunt, contra quemvis

quemvis hostem auxilia promittentes, ordine Teutonico excepto, propter Prussiae longinquitatem (**). Alexandri filiis, Elia & Stephano, de successione dissidentibus, Vladislaus Iagellonides, a. 1436. Valachiam inter eos divisit, ut partem Poloniae adiacentem, quae Moldavia dicitur, Eliae, alteram Stephano addiceret: quorum ille statim Regi obedientiam iuravit, Stephanus vero, post aliquam tergiversationem, clientem se profitebatur (***) . A quo tempore duo exstiterunt Palatini, alter Moldaviae, Valachiae alter, cum adhuc unus toti Valachiae, cuius pars Moldavia, praefuisset. Ambo paruerunt Regibus Poloniae, ita tamen, ut interdum fidem exuentes, supremos suos Dominos bello aggrederentur, & arinis ad officium redigendi essent, donec sub Turcicum imperium plane concederent. Tempore Sigismundi III. a. 1617. supremus exercitus Dux, Zolkievius, sua auctoritate, cum Turcis ita transegit, ut in Moldaviam & Valachiam Poloni nihil iuris sibi vindicarent: ac pax ad Chocimum a. 1621. Turcis supremum dominium firmavit, ut tamen Moldaviae Christianus, pacis studiosus, & animo a Polonis non alieno, praeficiatur (****). Ita principum Regis Poloniae in Moldaviam & Valachiam ius extinctum, cuius recuperandi spes, ultimo cum Turcis bello affulgebat, Augusto II. etiam suum studium & operam offerente, ut Regnum in hoc ad antiquam amplitudinem rediret

rediret (†*). Sed pace, de qua altero regiminis anno, turbis domesticis nondum compositis, agi coepit, de Moldavia, & Valachia nihil obtineri potuit, quod prioribus pactis derogaret.

(*) Biels. Chron. p. 274. 280.

(**) Koial. Hist. Litv. part. II. p. 67. Biels. p. 285.

(***) Dlugoff. XI. 367. XII. 690. f. Biels. Chr. Pol. p. 354.

(****) Hist. nost. Pol. p. 123. 129.

(†) Proposit. P. C. Augusti II. adiectae §. Niemnicy Podole.

LIBER II.

CAP. I.

De

Forma regiminis Poloni.

§. I. Regimen Polonum quale. §. II. Num eadem & olim forma. Regum ius im-

minutum, cum iura populi crescerent.

§. III. Magnae, in regimine, Ordinum partes. Duo an tres Ordines sint. Quis pri-

mus Regem Ordinem dixerit. Sententia

haec expenditur. §. IV. In Ordinum con-

sultationibus, quanta nuntii potestas.

D

Quae

Quae inde incommoda. §. V. De Poloni regiminis forma iudicium, quod integrum historiae relinquitur.

§. I.

Habet locum de regimine Polono, quod de primis Reipublicae Romanae temporibus Sallustius (*) affirmavit, fuisse imperium legitimum, nomen imperii regium. Praeest enim Poloniae Rex, sed potestatem suam ad leges exercet, quae regiminis modum constituunt, singularem omnino, ut sui similem non habeat.

(*) De bello Cat. c. 6.

§. II.

Qui antiqua tempora norunt, inficiari non possunt, Principum potestatem olim fuisse solutiorum, imo solutissimam, ut suo plane agerent arbitrio. Sed aetas, quae caetera atterere solet, & illorum imminuit ius, quod iam angustis cancellis circumscriptum intelligimus. Potest mutationis initium a Ludovico repeti, qui Vngarus, in successione Piasii posteris masculis praelatus, cuius stirpem per matrem attingebat, ut populi voluntatem sibi conciliaret, de sua potestate nonnihil remisit. Aucta populi iura in Regionum dispendium, sub domo Jagellonica, ad quam regnum per Hedvigem, Ludovici filiam, transit. Accesserunt alia post Jagellonidas, per intervalla temporum, pactis

ctis conventis novorum Regum , huic rei opportunis.

§. III.

Ita sensim factum, ut Rex potiores regiminis partes iam Ordinum consensu exerceat. Ordines duo sunt, Senatorius alter; alter equestris. Minus enim apposite videtur, tres statuere, ut sunt qui Regem pro ordine habeant. Cuius sententiae, quantum scio, primus auctor fuit Stanislaus Karnkovijs, Cuiaviensis illo tempore Episcopus, qui post Henrici inaugurationem, in Senatu de interregno loquens, Rempublicam tertio ordine caruisse, dixit (*). Hoc quamvis Praesul pro lubitu, novam appellationem neque lege neque alia ratione fulciens, valuit tamen eius auctoritas, ut etiam alii post illum tres numerarent Ordines, inter quos Rex primus esset. Id quidem parum ex dignitate Regia, quia Rex Ordinibus aequatur, cum tamen emineat. Ipsi illi, quibus est sermo de tribus Ordinibus, Regem tamen in comitiis Dominum suum clementissimum compellant, quae num convenient, illorum iudicio permitto. Ignorant sane leges tres ordines, neque Regem cum Ordinibus confundunt. Volunt illae, ut Rex Ordines ad comitia convocet; ut ad eos negotia referat; ut cum iis deliberet & constituat. Ipsae leges Regis nomen praeferunt, qui edicit se eas ex sententia Ordinum sanxisse: Rege mortuo, non ordo, sed Princeps extinctus dicitur, & tum omnes

Ordines (**), quae ex Reipublicae usu constituunt; neque ad Ordinis, sed ad novi Regis electionem confluitur, qui electus renunciatque, Ordinum iura firmat, & traditis regni insignibus inauguratur. Vt alia omittam, quae Regem Ordinum conditioni eximunt, & eum supra illos extollunt.

(*) Heidenstein. p. 53.

(**) Inde initio confederationum generalium, interregni tempore, omnes Ordines nominantur, & omnes Ordines cum novo Rege pacisci dicuntur.

§. IV.

In Ordinum consultationibus id notatu dignissimum, quod unus nuntius, quo nomine vocantur, qui a nobilitate ad comitia missi, sua contradictione progressum consiliorum sistere possit. Neque opus est, ut contradictio in ea re versetur, quae iam deliberationem venit, sed licet eam aliunde & longius arcessere; licet contradicenti suam causam agere, & hanc publico commodo praeferre. Habet haec intercessio tantam vim, ut non solum consiliorum cursum abrumpat, sed etiam quae iam constituta irrita reddat, & aliquot hebdomadam labor uno temporis momento pereat. Haec causa, ob quam tot infructuosa comitia, cum difficile sit, in tanto consulentium coetu omnes ad unam flectere sententiam, ut ne quidem unus, vel ob suum commodum, vel ex alia ratione, in
diversa

diversa feratur. Inde temporis opportunitas saepe negligitur, & publicis malis, aut nullum, aut serius adhibetur remedium.

§. V.

Haec est Poloni regiminis forma, quam sequens tractatio, omnibus suis partibus describet. Sive illam ex diversis mixtam, a regula deflectentem, & multis incommodis obnoxiam; sive omnibus numeris absolutam appellaveris, id quidem per me licet. Quid vere sentiendum, historia nostrae & superioris aetatis, fidelissime docere potest.

CAP. II.

De
R E G E.

§. I. *De initio dignitatis Regiae, & modo quo coeperit, diversae sententiae.* §. II. *Premislaus Rex. Regius titulus ad successores transit.* §. III. *Num electio antiquissimis temporibus obtinuerit. Primi Reges quo iure regnum adierint. Quid de stirpe Jagellonica statuendum.* §. IV. *Civium consensus in suscipiendo regno. Titulus haeredis regni, qui lege abrogatus.* §. V. *Libera electio, quae iam in usu, instituta & legibus firmata.* §. VI. *Non habet locum nisi Rege mortuo. Cura ne Rege vi-*

vente, alii regnum obveniat. Vanus conatus Ioannis Casimiri, qui civium animos irritavit. Excusatur, quod eius tempore successionis spes exteris Principibus facta. §. VII. Deseruit regnum Henricus, & Ioannes Casimirus se illo abdicavit. Ut Rex per totam vitam regno praesit, leges volunt. Ausa in Augustum II. De regno cum aliis transigere haud licet. §. VIII. Potest Rex simul extero regno praeesse. Cur Henrico regnum abrogatum.

§. I.

Praesit Polonis Rex, sed quando & quomodo hic titulus coeperit, inter scriptores domesticos & Germanos est dissensio. Poloni affirmant, iam Miecislaum I. a Papa regium diadema, frustra tamen, petiisse; filium eius Boleslaum I. hanc dignitatem a Caesare Ottonne III. impetrasse: quod illis displicet, qui suo iure, non Caesaris beneficio, Boleslaum usum credunt. Sed de hoc conveniunt, quod nomen regium a Boleslao ad successores transmissum, & in Boleslao II. ob caedem Episcopo Cracoviensi, Stanislao, illatam, defierit. Germani contra tradunt, Boleslaum I. paulo ante mortem, titulum regium citra fas sibi arrogasse; Miecislaum II. eius filium, qui patris exemplum secutus, adactum fuisse a Caesare, ut abstineret; Boleslaum II. cum iam aliquot annis Poloniam rexisset, a. 1077. insignibus regis condecoratum, eius tamen successores, reveren-

reverentia in Caesarem, ad cuius clientelam, non minus ac priores, pertinuissent, in Ducum titulo acquievissent (*). Non me fugit displicere haec nostratibus, Germanis tamen, qui aetate priores, quique illis temporibus, de quibus testimonia perhibent, vixerunt, omnem negare fidem, solis autem domesticis scriptoribus, qui recentiores, ac incertis auctoribus antiqua memorant, credere, durum & partium studio obnoxium videtur. Quoad tempus, exteris fere consentit, *Anon. Archidiaconus Gnesnensis*, domesticus scriptor, qui a. 1025. primum Boleslaum magnum Regem factum, & a. 1078. Boleslaum secundum, diademate redimitum narrat (**). Sed non officit maiestati regiae, quod eius initia aliter se habuerint, neque libertati gentis, quod ante aliquot saecula, inter angustiores limites constituta, praevalentem Caesaris potentiam revereri voluerit: ut illibata est Regum Daniae & Vngariae dignitas, licet aliquando supremum Caesaris imperium coluerint.

(*) *Historia nostra Pol.* p. 2. 3. 5. *Wippo in vita Conradi Salici T. III. Script. rer. Germ. Pistorii* p. 470. 477. *Lamb. Schafn. T. I. Script. Germ. Pistorii* p. 417.

(**) *Scriptor. rer. Siles. Sommersb. T. II. p. 79.*

§ II.

Id certum, Premislaum maioris Poloniae Ducem, Gnesnae a. 1295. ab Archiepiscopo
 D 4 Gnes-

Gnesnensi, in Regem fuisse unctum ac diademate condecoratum: quo sequenti anno mortuo, Vladislaus locticus, sine regio titulo, maiorem Poloniam rexit. Post hunc, Venceslaus, Bohemiae Rex & minoris Poloniae Dux, maiorem Poloniam nactus, a. 1300. Gnesnae Poloniae Rex inaugurabatur. Hoc a. 1305. decedente, cessavit in Polonia regium nomen, donec a. 1320. in Vladislao loctico, totius Poloniae Principe, revivisceret, cui regia insignia Cracoviae tradebantur. Ab hoc tempore, regia dignitas in successoribus fuit continuata.

(*) Histor. nost. Pol. p. 16. 17. 19.

§. III.

Nemo facile ignorabit, eligi Poloniae Reges, non iure sanguinis succedere: quod olim contra fuit, cum Duces suas provincias per hereditatem obtinerent, ac Boleslaus III, facta inter filios terrarum divisione, sanxisset, ut Cracoviensis tractus seniori inter posteros obveniret, isque loco primus esset: quod usu minus servatum (*). Neque primi Reges, Primislaus, Venceslaus, Vladislaus locticus, Casimirus M. electione nitebantur. Idem hic Casimirus M. regnum in externum Principem, Regis Vngariae filium, Ludovicum, translaturus, egit a. 1339. cum proceribus, ut successor designaretur, quod ideo necessarium, quia Piaftidis, Masoviae & Silesiae Ducibus, quibus in regnum ius, praeferri debebat (**). Succedit

cessit Ludovicus, & obtinuit, ut Poloni promitterent, se unum ex filiis, & si nullus filius, ex filiabus unam, quem aut quam, vel ipse, vel Regina nominatura, ut cum suis posteris regnet, recepturos (**). Quam ob rem, paulo ante mortem, proceres in verba generi sui Sigismundi adegit. Quod ita immutatum, ut Sigismundo, & eius tum sponsae Mariae, minor Ludovici filia, Hedvigis, praeferretur, mutuae successione pacto, inter utramque sororem eiusque prolem, in Poloniae & Vngariae regna, constituto (***). Hedvigis Regina inaugurata, nupsit Jagelloni Litvaniae Duci, qui per hoc matrimonium Poloniae Rex evasit, ac mortua Hedvige, regno se excidisse credit, ut etiam Comitis Ciliae filiam, Casimiri M. per matrem suam, neptem, duceret, ne Polonia moveretur (†). Huic postea promissum, receptum iri ex duobus filiis Regem, uter idoneus visus fuerit (†*). Successit patri, filius Vladislaus, & inauguratus, decem quamvis annorum puer, auditumque fuit, non esse negligendum iustum & legitimum haereditem (†**). Hunc, quod ipsi nulla soboles, frater Casimirus excepit, qui cum regnum adire tergiversaretur, Masoviae Dux Boleslaus, ex Piastea stirpe, eligebatur, a quo statim discessum, simulac de Casimiri voluntate constitisset (†***). Regnarunt tres eius filii, Ioannes Albertus, Alexander, Sigismundus, ex quibus solus Sigismundus prolem sustulit, cu-

iusque filium unicum, Sigismundum Augustum, aetatis anno decimo, Poloni a. 1529. Regem declararunt, ac sequenti anno insignibus condecorarunt, ut tamen non prius, quam patre mortuo, regnaret (†****).

(*) Histor. Pol. p. 6. 9.

(**) Anon. Arch. Gnesn. p. 101. Dlug. IX. 1055.

(***) Anon. Arch. Gnesn. p. 112. Lasc. Stat. f. 40.

(****) Anon. Arch. Gnesn. p. 144.

(†) Dlug. X. 165.

(†*) Dlug. XI. 536.

(†**) Dlug. XI. 663. f.

(†***) Dlug. XIII. 17. f.

(†****) Histor. Pol. p. 52.

§. IV.

Memorati ergo Principes, non per eiusmodi electionem, qualis hodie celebratur, ad regnum pervenerunt, sed electio quam passim nominant scriptores, revera erat declaratio procerum & nobilium, quae praecedebat, antequam regimen novi Principes ingrederentur. Ipsi Reges sanguinis Jagellonici, consensum civium allegabant, qui ideo necessarius, ut haberent, quod obverterent Piastidis, quibus praereptum regnum bene intelligebant.

Non

Non tamen solo populi consensu, sed pariter successionis iure nitebantur, ut se Poloniae iunctarumque Regno terrarum haeredes, in publicis litteris nominarent. Sigismundus Augustus, stirpis Iagellonis masculinae postremus, hoc titulo ultimus usus, quo defuncto, ab Ordinibus sancitur (*), ut illo Reges perpetuo abstineant: & Sigismundus Augustus, iure quidem haereditario in Litvaniam, Reipublicae Poloniae a. 1564. cessit (**); haereditis tamen vocabulum ad vitae finem retinuit.

(*) Articuli Henrico Regi oblato Vol. Const. P. 253.

(**) Vol. Const. p. 49. 174.

§. V.

Post Sigismundum Augustum, Henrico iam electo, lata lex, ne Reges, dum vivunt, Regem alium designent aut eligant, aut ad electionem comitia indicant, aut aliquo modo successorem in adeundo regno adiuvent, sed ut perpetuis temporibus, post Regum obitum, electio omnibus Regni Ordinibus libera maneat. Haec verba initio *articulorum* Henrico oblatorum, at non solum Henrico, sed & successoribus eius scriptorum, leguntur (*), & a Vladislai IV. tempore, in Regum pactis conventis, statim initio, repetuntur. Secutae constitutiones annorum 1607. 1609. 1631. 1662. 1667. 1670. electionis ius firmantes, & quas alio loco recensuimus (**). Exstat pariter diploma

diploma Sigismundi III, a. 1607. scriptum, & constitutionibus a. 1631. insertum, quo alienum se a substituendo sibi successore affirmat, eosque hostes patriae & publicae libertatis subversiores iudicat, qui contra liberam electionem aliquid ausuri essent (**). Ad exemplum priorum Regum, Augustus II. & Augustus III. non tantum per pacta conventa, sed etiam in comitiis, Ille a. 1699. Hic a. 1736. fidem suam obstrinxerunt, electionis ius Ordinibus illibatum fore (****).

(*) Vol. Constit. p. 253. Heidenst. p. 38. 41.

(**) Comment. nost. ad P. C. Augusti III. p. 4. 5.

(***) Constit. a. 1631. p. 2.

(****) Constit. a. 1699. tit. Ubezpieczenie p. 40.
Constit. a. 1736. tit. Ubezpieczenie p. 2.

§. VI.

Servant *articuli Henriciani*, proximo §. citati, Ordinibus liberam novi Regis, post prioris mortem, electionem. Idem est sensus sequentium legum, ut non nisi interregni tempore de creando Principe agi queat. Quam ob rem civium animi graviter turbati, quoties rumor incederet, velle Regem in alium transferre regnum, aut successorem sibi designare; qua suspitione haud caruerunt, qui post Henricum Poloniae praefuerunt Principes: ut etiam cum ex hac, tum aliis causis, Sigismundi III. tempore, multi ad arma concitarentur.

rentur. Ioannes Casimirus, cum Ordinibus de successore aperte egit, rem ad comitia referens, multis ab ea non alienis; quæ tamen reiiciebatur, expensis, quanta inde incommoda, quantumque libertati discrimen immineret (*). Cum tamen Rex nihilominus in sua sententia perstaret, exarserunt animi usque ad civile bellum, quod non prius sedatum, quam metus ex successore nova lege tolleretur (**). Sub eodem Ioanne Casimiro, exteris Principibus successione spes iniecta: sed quod leges non ferebant, excusabat necessitas, cui ipsæ leges nunquam cedere coguntur, ut laboranti Republicæ, & fere destitutæ, adversus Carolum Gustavum, Sveciæ Regem, promptius subveniretur.

(*) Hist. Polona. p. 208. 209. 215. 219. 220. Kochov. Annal. Clim. II. p. 497. 505 — 513. Clim. III. p. 225. f.

(**) Constit. a. 1667. p. 3. tit. Warunek.

§. VII.

Cum vero Henricus regnum desereret, & Ioannes Casimirus, Ordinum consensu, illo se abdicaret, uterque pro mortuo habitus, in quorum locum alius eligendus esset Princeps. Effecit tamen Ioannis Casimiri exemplum, ut a. 1669. in *exorbitantiis*, perpetua lex sanciretur, de retinendo per totam vitam regno, & ne de abdicando illo Regi ad Ordines referre liceret (*): quam legem Michael suo & successorum

cessorum nomine, in pactis conventis repetiit (**). Ex quo patet, quid sentiendum, cum pauci Senatores & ex nobilitate aliquot, ab externo Principe, Reipublicae hoste, inducti, huiusque armis confisi, Augustum II. solio movere sustinerent, licet paulo ante, in comitiis Lublinsibus a. 1703. nova lex Regiam abdicationem detestata, & vinculum inter Principem & cives novo iureiurando firmatum esset (***). Neque sanctum illud foedus Sandomiriense sequenti anno alium in finem contractum, quam ut Rex, dum viveret, regno praecesset. Valuit eius auctoritas contra pacem, quam victor extra Poloniam, Ordinibus inficiis, a. 1706. extorsit, & qualem lex antiquior in memoratis exorbitantiis damnaverat, de alio Rege vel intra vel extra regnum transigere vetans (****).

(*) Exorbitantiae a. 1669. tit. In materia abdicationis.

(**) §. Iako Každa novitas.

(***) Consti. a. 1703. p. 4. tit. Oświadczenie. Hist. Pol. p. 314. 315.

(****) Exorbitant. tit. cit.

§. VIII.

Potest etiam Rex aliud suscipere, & simul Poloniae Regnum tenere, nulla id vetante lege, & exemplis probantibus. Vladislaus Jagellonides, Poloniae Rex, ab Vngaris electus,

ctus, utrique regno praefuit. Sigismundus III mansit Rex Poloniae, licet post parentis mortem, in Sveciae Regnum succederet. Neque Henrico Regnum abrogatum, quod Gallia, fratre defuncto, obvenerat, sed quia ex Polonia clam, Ordinibus insciis, abierat, & redire, per litteras ac legatos rogatus, etiam post constitutum diem tergiversabatur.

CAP. III.

De Interregno

&

Comitiis convocationis.

§. I. *Post Regis mortem interregnum. Interrex Archiepiscopus Gnesnensis & pro illo Episcopus Cuiaviensis.* §. II. *Munus Interregis.* §. III. *Disceptatum olim, num Archiepiscopi Gnesnensis sit, interregni tempore comitia & minores conventus iudicare. Lis componitur.* §. IV. *Edictum Archiepiscopi post Regis mortem, quid contineat.* §. V. *Iudicia ordinaria nobilitatis & aulica interregni tempore cessant. Iudicia extraordinaria, quae capturalia.* §. VI. *Capturalia unde dicta. Vocabulum Kaptur.* §. VII. *Quis iudicia haec constituat. Quando coeperint. Illorum*

rum forma. §. VIII. Iudicia interregni in Prussia. §. IX. Cur ordinaria nobilitatis iudicia cessent. In civitatibus ordinaria iudicia continuantur. Patent etiam acta terrestria & castrensia. §. X. Conventus mindres ante comitia convocationis. Maior solito ad ea nuntiorum numerus vetatur. §. XI. Comitata convocationis, unde nomen habeant. Quae prima. §. XII. Locus ubi habeantur. §. XIII. Eorum initium. Praesidet illis Interrex. Umbella Radzeiovii offendit, inde amota. §. XIV. Nuntii sub suo Mareschalco. Refert Interrex ad Ordines de quibus consultandum. Exemplum relationis ab Interrege absente missae. §. XV. Num Mareschalco carere possint nuntii. Huius rei exemplum. §. XVI. Electum esse Mareschalcum Senatoribus nuntiatur, qui vicissim nuntiorum conclavi gratulantur. Nuntii ingrediuntur Senatorum conclave. §. XVII. Modus consultandi. §. XVIII. Novi Senatores, a quibus id nondum factum, iurant. §. XIX. Quae in comitiis constituentur. Pax inter dissidentes de religione. Securitas. Tributa. Delegati ad thesauros, oeconomias, ad corpus defuncti Regis. Primatis consiliarii extra comitia. Decreta singulorum Palatinatum probantur. Litterae & Legati exterorum Principum. Exorbitantiae. Mentio iudicii

iudicii capturalis generalis. §. XX. *Iurandum pro electione Regis.* §. XXI. *Vocabulum confederationis quod decretis comitiorum imponitur. Scribitur confederatio omnium Ordinum nomine. Subscriptiones. Nomina quarundam civitatum quando addi coeperint.* §. XXII. *Subscriptiones cum conditione.* §. XXIII. *Confederatio typis expressa.* §. XXIV. *Pertinent ad comitia convocationis omnes provinciae. Dux Prussiae olim non admissus.* §. XXV. *Tempus intra quod comitia peragenda.* §. XXVI. *Comitiorum convocationis irritorum exemplum. Scripta nihilominus confederatio.* §. XXVII. *Conventus minores post convocationis comitia.*

§. I.

Regem mortuum interregnum excipit, quo potior penes Interregem auctoritas. Interrex est Archiepiscopus Gnesnensis, qui Regni & Litvaniae Primas, ac primus Princeps. Archiepiscopo autem nullo, aut per morbum impedito, partibus eius Cuiaviensis Episcopus defungitur. Post Michaelis obitum, Primatis munus suscepit Casimirus Florianus Czartoryscius, Cuiaviensis Episcopus, qui a defuncto Rege nominatus quidem Gnesnensis Archiepiscopus, a Papa autem nondum confirmatus, Primas esse non poterat: quia nominatis Archiepiscopis & Episcopis, non prius munus suum gerere licet, quam bullas a
E
Papa

Papa receperint. Hinc Czartoryscius literis, quibus convocationis comitia indixit, Episcopi Cuiaviensis, & nominati Archiepiscopi Gnesnensis titulos praeposuit, Primatis & primi Principis nominibus, quae Gnesnensi Praesuli conveniunt, abstinens. Cum autem interea pro Archiepiscopatu, Papae bullam recepisset, in *confoederatione* generali, omisso Episcopi Cuiaviensis titulo, Gnesnensis Archiepiscopus & Regni Primas dicebatur.

§. II.

Interregis est, mortem Regis denuntiare; comitia & conventus minores indicere, comitiis & consultationibus extra comitia praesidere; exterorum Principum litteras recipere, horum legatos, si comitia exspectare nolunt, audire, de his & omnibus aliis, quae scire publice interest, ad Ordines referre, leviora per se curare, quicquid ipsi commendatum perficere, omnia providere, & nihil, quod reipublicae salutare, omittere.

§. III.

De Primatis potestate indicendi comitia & minores conventus, post mortem Sigismundi Augusti disceptabatur, cum nulla de ea re lex esset scripta (*), & Regni Mareschalcus tum hoc, tum alia iura sibi per interregnum asserere conaretur. Hinc initio passim conventus

tus

tus sine Gnesnensis Archiepiscopi litteris habiti. Sed in comitiis convocacionis controversia ab Ordinibus composita, eo quidem modo, ut esset Archiepiscopi, post Regis mortem comitia & alios conventus indicere (**). Quod autem ad comitia convocacionis modo memorata, illa consensu Senatorum utriusque Poloniae, in conventu Kaskasensi constituta, qui pariter nobilitati diem dixerunt, quo ante comitia minores conventus celebraret (***) .

(*) Priluf. Stat. p. 19.

(**) Heidentf. rer. Pol. lib. I. p. 7. 21.

(***) Heidentf. p. 14.

§. IV.

Si Interrex Varavia abest, dum Rex moritur, certior de obitu factus, eo festinat, & habito cum Senatoribus, qui adsunt, consilio, iisdem litteris Regis decessum nuntiat; minoribus palatinatum conventibus, & regni comitiis diem dicit; quae ex publico usu Ordinibus commendat, & arcium praefectis in finibus iniungit, exteros, nisi comiteatu instructi, aditu prohibere, ac legatos Principum in limitibus remorari, donec liberi itineris diploma ab Interrege receperint (*). Huic edicto, Senatorum nominibus, qui consulti, adscriptis, sigillum Interregis imprimitur. Martias Lubinius, Gnesnensis Archiepiscopus, a. 1648. Lovicii, habito ibi cum

Senatoribus aliquot consilio, interregnum edixit, & Casimirus Czartoryscius a. 1673. eiusmodi litteras in Smarzewiciis, Episcopatus Cuiaviensis praedio dedit, cum Senatores Varsoviae consuluisset.

(*) Vid. Edicta Primatum initio interregni publicata.

§. V.

Publicato interregno, cessant iudicia nobilitatis, *terrestria, castrensia & tribunalitia*, pro quibus in palatinatibus & tractibus minoribus, ubi id usu obtinet, iudicia *capturalia*, ut vocant, constituuntur, quod ut quamprimum fiat, nobilitas in citato Interregis edicto monetur. Neque iudicia aulica, *assessorialia & relationum*, per totum interregnum aguntur.

§. VI.

Iudicia *capturalia* habent nomen a vocabulo Polono *Kaptur*, quod proprie cucullum, capitis tegumentum, minus proprie foedus, ab Ordinibus pro securitate iurium & tranquillitate, interregni tempore contractum, denotat. Primus, ni fallor, *Priusius* eiusmodi foedus hoc nomine appellavit, qui dum initum post mortem Ludovici, in statutis exhibet, in margine ponit, foedus hoc *Kaptur* dici (*). De causa nominationis anxius non sum, fortasse concordiam significare voluerunt, quicunque

omninoque ea primi usi, quasi tot capita sub unum cucullum redacta fuerint. Quia autem dum foedus, *Kaptur*, viget, iudicia illa exercentur, potuit *capturalium* nomen illis commode obvenire.

(*) Statut. p. 6.

§. VII.

Iudicia *capturalia* nobilitas sibi in minoribus conventibus constituit, quod primum post mortem Sigismundi Augusti factum, olim minus necessarium, cum inter Regis mortem & successoris regimen, breve aut nullum spatium intercederet; a Sigismundi Augusti obitu autem longius interregnum fore, facile prospici posset. Ex hac causa, passim in palatinatibus iudicia constituta, quae in turbatores severe animadverterent (*). In *confoederatione* generali post Stephanum a. 1587. iudicia *capturalia* primum ordinata, idque, quod tum sancitum, sequentes repetunt, interdum explanant, aut quaedam addunt. Iudices suffragiorum pluralitate eliguntur, quorum non ubique par numerus, sed in aliis palatinatibus ac tractibus maior, in aliis minor, tantusque quantum consuetudo induxit. Electi, sub ipso iudicii initio, recte se iudicaturos, ex formula iurisiurandi tribunalitii iurant, ac ex sententiarum pluralitate decreta ferunt. Assidet scriba, quod munus notario, aut terrestri aut castrensi, aut cuivis alii, quem nobilitas elegit,

confertur. Habentur iudicia per tres hebdomades iis locis, quae iudiciis castrensis destinata, salva tamen nobilitati, alium locum si velit, designandi facultate. Cessant tribuna ante, & totidem post electionis comitia hebdomadibus, ac omni eorundem comitorum tempore, cum interregno autem plane finiunt & causae usque ad decretum peractae, ad castrense, inchoatae saltem, ad tribunalitium iudicium remittuntur. Ad *capturalia* iudicia pertinent causae criminales, homicidia, incendia, spolia, ac aliae iniuriae graviores. Citations quibus rei in ius vocantur, scriptae in membrana, ut vocatur, terrestri, vel castrensi, consiliariorum & Ordinum aut procerum regni, palatinatus illius, cuius est citatio, titulum praeferunt, ac per ministerialem duabus ante dictum diem hebdomadibus exhibentur. Si autem damnati decreto parere nolunt, vel evocata etiam in eos palatinatus aut tractus illius nobilitate, adigendi sunt (**).

(*) Heidenst. p. 16.

(**) Konfeder. general. a. 1587. §. W. Konstitutioncyi — §. Securitatem vero. Vol. Constit. p. 407 — 409. Konfed. general. a. 1632. §. §. Trzecia. Kaptury & seq. Zalaszovii ius regni Pol. Tom. I. p. 176. f.

§. VIII.

Prussi, singulis suis palatinatibus iudices inter regni, sic enim vocant *capturales*, in conventu

ventu provinciae generali, omnium Ordinum consensu eligunt. Praeses iudicii est loci Palatinus, ibidemque exercetur ubi *castrense* haberi solet. Cessant iudicia duabus ante electionis comitia hebdomadibus, ad quae interiecto eodem post comitia spatio, reditur. Citationes scribuntur in membrana terrestri, Statuum & Ordinum terrarum Prussiae nomine: in reliquis, inter haec Prussorum & Polonorum iudicia *capturalia*, nullum fere discrimen occurrit.

Lauda iudiciorum interregni in Prussia.

§. IX.

Cessant autem ex hac ratione ordinaria, nobilitatis ac aulica iudicia per interregnum, quod Regis auctoritate exercentur: oppidanorum autem in civitatibus continuantur, caesaque in quibus ad iudicium aulicum provocatum, post novi Principis inaugurationem iudicantur. Patent tamen acta *castrensia* & *terrestria*, iis, qui testamenta, donationes inter vivos, cessiones, & alia huiusmodi, de quibus non litigatur, quaeque *confoederatio* generalis a. 1587 (*) & sequentes memorant, exhibere volunt.

(*) Vol. Const. p. 411. §. vulnera Reipublicae.

§. X.

Praeter iudices *capturales*, in conventibus minoribus, etiam nuntii ad comitia convocationis

tionis eliguntur, quibus ea mandari solent, quae vel ad universi regni, vel ad singulorum palatinatum terrarumque, vel ad privatorum commoda pertinent. Ad comitia convocationis a. 1573. numerus nuntiorum solito maior missus (*): quod & postea factum inde colligi potest, quia a. 1674. fieri vetitum, ita ut non admitti debeant, qui ultra numerum ordinarium venerint (**).

(*) Heidenst. p. 17.

(**) Konfeder. general. a. 1674. §. Uprzãtaiaç.

§. XI.

Comitia convocationis à convocando nomen habent, quia omnes Ordines convocantur; & licet ex hac causa omnia comitia convocationis possint dici, manet tamen haec appellatio illis comitiis, quae mortem Regis sequuntur, qualia primum post Sigismundi Augusti obitum, initio a. 1573. celebrata fuerunt.

§. XII.

Locus horum comitiorum est Varsovia, neque alibi quam hic; unquam celebrata: & lex anni 1673. quae tertia comitia Grodnae in Litvania haberi iubet, illorum numero, convocationis, electionis & inaugurationis regiae eximit, ac suo quaeque loco relinquit.

Constit. a. 1673. p. 18. tit. Seym trzeci.

§. XIII.

§. XIII.

Comitia haec, ut reliqua omnia, a sacris suum habent initium. Praesidet Gnesnensis Archiepiscopus, sella in medio posita, Senatoribus, ut alias, suo loco assidentibus. Mich. Radzeiovius, defuncto Ioanne III, Interrex, supra suam sellam umbellam, baldachinum vulgo, suspendi iusserat, sed nobilitas non destitit obstrepere & reclamare, quam umbella amoveretur. Eandem in templo, ubi Primatis sedes hoc insigni condecorata erat, aegre & non sine contradictione tulerat: Radzeiovio rei novitatem, *ceremoniali Romano*, quod *Cardinalis* erat, excusante.

Zalusc. Epist. T. II. p. 75.

§. XIV.

Nuntii, pro more, in suo conclavi Marschalcum eligunt, & postquam cum illo in Senatum venerunt, Interrex ea de quibus consultandum refert: quae in comitiis convocationis a. 1648, maior Regni *Secretarius* recitavit, cum Primas sua voce nonnulla praefatus esset (*). *Solicovius* auctor est (**), a. 1587. Primatem ob valetudinem absentem, relationem ad Ordines scriptam misisse, a quo autem lecta fuerit, reticet.

(*) Kochov. Annal. Clim. I. p. 40.

(**) Comment. rer. Polon. p. 174.

§. XV.

In comitiis convocationis a. 1573. nullus electus Mareschalcus, sed singulis diebus alius ex alio palatinatu praefidebat, ordine inter palatinatus servato (*). Cum in eiusmodi comitiis a. 1696. de eligendo Mareschalco esset dissensio, auctor erat Referendarius regni, Szczuka, ut vel omisso, qui inter tres gentes per vicés obtinet, ordine, Mareschalcus promiscue eligeretur, quem totum conclave dignum haberet, vel nuntii sine Mareschalco Senatum adirent, quod illa novitas defendi posset, quia comitia haberentur, in quibus pro consuetudine *confoederatio* fancienda esset. Sed displicuit ideo consilium, quod metus, ne hoc exemplum & aliis comitiis ferviret; ac prae caeteris Litvani restiterunt, factumque ut Steph. Humiécus ex minore Polonia, Mareschalcus eligeretur (**).

(*) Heidenst. p. 17.

(**) Zalusc. Epistol. T. II. p. 77.

§. XVI.

Electum Mareschalcum, Senatus a tribus nuntiis, uno ex quavis gente, accipit; redditusque a. 1696. a Senatu per totidem Palatinos, unum ex singulis gentibus, honor, qui nobilitati de novo Mareschalco gratularentur, ac ad Senatorum confessum invitarent. Id tamen male habuit equestrem ordinem, quod qui ad Senatum ablegati, stantes auditi, cum mandata

data sedentes exponere debuissent: quod culpa maioris Regni Mareschalci excusabatur (*). Ingredientes Senatum nuntios, maior regni Mareschalcus, & eo absente, Mareschalcus curiae excipit, illique ore sui Mareschalci Senatores alloquuntur, ac responsum a Primate accipiunt. Vix necessarium ut moneamus, nulla tum manus sequi oscula, ut in comitiis praesente Rege, quod per se notum, cultum illum maiestati Principis servari.

(*) Zalusc. l. c. p. 77. 78.

§. XVII.

Modus consultandi idem qui in aliis comitiis, & ut finis acceleretur, manent nonnunquam nuntii, cum primum cum suo Mareschalco accesserunt, Senatoribus iuncti. Ob temporis angustias a. 1696. Senatus a nobilitate exoratus, iure censendi destitit, sed nuntiis facultatem statim suas promendi sententias concessit, ita tamen, ut Senatoribus singulis liberum esset, quoties e re videretur, quid sentirent exponere. Quam Senatorum facilitatem, nobilitas gratiarum actione prosequabatur.

Zalusc. l. c. p. 81.

§. XVIII.

Senatores a Rege defuncto creati, sed nondum iurati, in comitiis convocationis fidem suam Reipublicae, coram Ordinibus obstringunt

gunt (*). A. 1696. resistebant nuntii, non quod abrogari volebant hanc consuetudinem, sed quia infanti erant, novo Volhinae Palatino, In Jablonovio, detrahi aliquid potestati Senatoriae credentes, si ad iusiurandum non admitte-
retur.

(*) Zal. Ep. T. II. p. 86. Konfed. gener. a. 1733.
§. Ichinc PP. Senator.

§. XIX.

In iisdem comitiis, non tantum electioni Regiae dies & locus, sed pariter quae ad electionem hanc rite peragendam, ad securitatem, pacem domesticam & externam, tum alia omnia, quibus publica res adiuvatur, constituuntur: ut Ordinum non minor potestas sit, quam in comitiis, Rege vivente, dignitatibus saltem & bonis regiis exceptis, quae, si vacua fuerint, futuro Regi servantur, ut suo tempore conferat. Non est in postremis, pax inter dissidentes de religione christiana, quae a. 1573. primum sancita, in singulis interregnis repetitur, ac in ultimo a. 1733. firmatur, additis iis, quorum in prioribus nullum exemplum, quibusque Romanis catholicis impares redduntur, qui ab illis religione diversi sunt. Si bellum aut metuitur, aut geritur, tributa, milites, nobilitatis generalis expeditio, consilarii qui Ducibus adsint, & alia quae usui, decernuntur. Praeterea legi solent ex utroque ordine, qui thesauros Regni

gni & Litvaniae, salisfodinas, & bona mentiae Regiae inspiciant, penes corpus defuncti Regis maneant, ac cum Primате extra comitia consilia conferant. Vbi notandum, quod Primati a. 1632. addi coeperint ex utroque Ordine consilarii, cum antea aut sua auctoritate usus, aut de negotiis cum Senatoribus, qui praesentes, communicaverit. Non tamen Primati eiusque consiliariis omnia mandantur, sed leviora tantum, graviora vero electionis comitiis integra servantur. Quae palatinatus singuli aut minores tractus in suis conventionibus tum de iudiciis, tum pro securitate constituerunt, in comitiis convocationis probantur. Ibidem exterorum Principum litterae leguntur, ac eorum legati audiuntur, nec minus Ordinum consensu epistolae & legati ad externos mittuntur, cum id extra comitia Primatis sit, quoties minoris momenti negotia incidunt. Solet etiam perpetuo mentio fieri *exorbitantiarum*, quo vocabulo intelliguntur, quae extra legum orbitam, sive publice sive privatim gravant; neque tamen ultra mentionem Ordines progrediuntur, ad electionis comitia eas reiicientes, ut tum ante omnia corrigantur, neque prius de Regis electione agere liceat. Super haec, generale iudicium captivale in electionis comitiis ordinari praecipitur.

Vid. *Confederationes generales interregnorum tempore.*

§. XX.

Illud novum erat, cum a. 1668. inter Ordines iusiurandum conveniret, ab iis praestandum, qui electioni interesse vellent, quo obstringerentur, Regem integre & ex conscientia eligere, & eius, qui aut ante aut post prioris Regis abdicationem, modis haud licitis, contra iura regnum affectasset, nullam rationem habere. Non repetitum hoc iusiurandum sequentibus interregnis, nisi quod novissimo aliud scriptum, eligentium libertati adversum, quodque obliterandum censuit Respublica, cum acta interregni in comitiis a. 1736. retractarentur.

(*) Conf. gener. a. 1668. p. 2. §. Przyścięgam.

§. XXI.

Quae autem in convocationis comitiis sancuntur, habent nomen confederationis generalis, quod vocabulum usu receptum, quia Ordines ad ea tuenda, foedere quasi se iungunt, fide, honore, conscientia, mutuam opem contra turbatores spondentes. Vocantur etiam Kaptur, de qua voce supra §. VI. dictum. Praeferunt titulum Consiliariorum Regni Poloniae, magni Ducatus Litvaniae, provinciarum ad utrumque pertinentium, sacrorum & civilium, nuntiorum terrestrium, & caeterorum omnium Ordinum unius & indissolubilis Reipublicae: idque ab anno 1632. obtinet, cum a. 1587. provinciis reliquis silentio transmissis,
Polonia

Polonia tantum & Litvania, anno autem 1573. Polonia maior & minor, magnus Ducatus Litvaniae, Kiovia, Volhinia, Podlachia, Russia, Prussia, Pomerania, Samogitia, Livonia & civitates Regni nominentur. Subscribunt Senatores & post hos Mareschalcus cum nobilitatis nunciis. Confoederationi a. 1573. ut est inter constitutiones (*), non leguntur adscripta nomina, licet ipsa confoederatio in fine perhibeat, & nomina & sigilla fuisse apposita. Exstant post confoederationem a. 1587. sed minori numero, ubi praeter nuncios viginti tres, Senatores septem, inter quos unus Episcopus, occurrunt. Ab anno 1632. quotquot praesentes, nomina sua confoederationi addiderunt, Primate Senatores, Mareschalco nuncios praecedente. Interregno post abdicationem Ioannis Casimiri, accesserunt civitates, Cracovia, Vilna, Leopoldis, Posnania, quarum ablegati confoederationi, post nobilitatis nuncios subscripserunt, & in ipsa illa confoederatione, memoratas civitates ad eam pertinere affirmatur (**). Ex quo tempore illarum subscriptiones in confoederationibus reperiuntur. Non tamen inde existimandum, ac si civitates censendi ac dissentiendi habeant potestatem, sed sola illis obsequii gloria relicta est, ut missi ab iis ad comitia, constituta ab Ordinibus, per se valida, subscribendo probent. Post civitates, nomen *Secretarii* comitalis legitur, quod primum confoederatio a. 1648. exhibet.

(*) Vol.

(*) Vol. Constit. p. 208.

(**) Konfed. gener. a. 1668. p. 23.

§. XXII.

•Ex iis autem, qui confoederationibus apponunt sua nomina, multi cum conditione subscribunt, ut vel contradicant nonnullis, quae confoederatio sancit, vel salva velint, quibus in illa non satis prospectum credunt. A. 1587. unus Goslicius Camenecensis Episcopus, *propter bonum pacis* subscripsit, ad pacem inter dissidentes de religione christiana respiciens. Frequentiores post Sigismundi III. mortem cum conditione subscriptiones, quae in sequentibus interregnis servatae, imo numero auctae. Civitates etiam confoederationibus a. 1696. & 1733. falvis suis iuribus subscripserunt.

§. XXIII.

Firmata subscriptionibus confoederatio, iudicio castrensi Varaviae offertur, ut eius actis inseratur, & typis expressa ad Palatinatus & minores tractus dimittatur. Exstant confoederationes inter constitutiones, illo quaeque loco, quem habet ex ordine temporis. Post Henrici tamen abitum nulla occurrit, quod tum nulla scripta, comitiis convocationis a. 1575, Senatoribus & nuntiis terrestribus admodum paucis, intra biduum peractis. Fuit saltem de die & loco regiae electionis consensus, quem Primas suis litteris edixit (*).

(*) Hist. nost. Pruss. T. III. p. 145.

§. XXIV.

§. XXIV.

Interfunt convocationis comitiis omnes illae provinciae, quae reliqua comitia frequentant. Litvani ad ea se non pertinere olim crediderunt, cum in pactis, quibus regno iuncti, nulla prorsus comitiorum convocationis mentio fieret (*). Missi tamen ab illis ad prima comitia a. 1573. legati, qui cum Polonis de tempore & loco electionis consilia conferrent (**). Eadem Prussorum quondam fuit sententia, existimantium suam praesentiam saltem in electione & inauguratione regia per legem requiri (***)). Prussiae autem Dux, qui id flagitaverat, neque ad comitia convocationis vocatus, neque legati eius, cum ultro venirent, ad consilia admissi (****).

(*) Bielsc. Chron. Pol. p. 657.

(**) Heidenst. p. 18.

(***) Hist. nost. Pruss. T. III. p. 144.

(****) Hist. nost. Pruss. T. III. p. 31. Heidenst. p. 21.

§. XXV.

Tempus, intra quod comitia convocationis peragenda, leges non constituunt (*), sed Interrex in litteris, quibus Ordines ad comitia vocat, monet, ut quam brevissimo absolvantur. Comitium convocationis a. 1696. Primas duarum hebdomadarum spatio circumscriptis, licet in litteris eius nulla mentio occurrat (**):

F

quod

quod tamen tempus Ordinum consensu proferebatur (**). Cum autem priore absumto, novum spatium exigeretur, unius nuntii dissensu comitia rumpebantur (****).

(*) Zalusc. Epist. T. II. p. 85.

(**) Non exstant illae litterae inter constitutiones, generali confederationi, ut solent, praemissae, sed latine versae in Epistolis Zaluscianis T. II. p. 37. leguntur.

(***) Zalusc. l. c.

(****) Zalusc. p. 107. 108.

§. XXVI.

Quamvis enim plurima Polonorum comitia irrita fuerant, convocationis tamen usque ad a. 1696. successerant, quo illa finire primum non licebat, Horodinscio palatinatus Czernichoviensis nuntio intercedente, qui pecunia redemptus arguebatur (*). Quod non obfuit, quo minus Ordines electioni tempus & locum dicerent, & se pro iuribus, securitate, & electione libera, foedere iungerent, alia etiam quae praesens rerum status exigeret, sancientes. Scripta confederatio apud Primatem & ab eius Cancellario, Pokryvnicio, lecta publice, quod Mareschalcus nuntiorum obrupta comitia id detrectabat, ac subscriptionibus probata: Iosepho Potocio, Haliceni Praefecto, frustra contradicente (**). Mareschalcus tamen ex memorata causa & ex eadem Palatinatus Cracoviensis nuntii, sua nomina

nomina non apposuerunt (***) . Senatores & nuntii qui subscripserunt, tum Reipublicae tum palatinatibus & terris singulis, facultatem habendi rata, quae confoederatio continebat, integram servarunt.

(*) Zalusc. Epist. T. II. p. 108. 109. 127.

(**) Zal. p. 109. 121.

(***) Zal. p. 121.

§. XXVII.

Comitia convocationis; conventus nobilitatis minores excipiunt, quibus in generali confoederatione dies constituitur; quod a. 1696. ob rupta comitia factum non est, nisi quod nuntii in subscriptionibus, conventibus suis diem, alii alium, adiecerunt. Appellantur illi conventus, *relationum*, quod ibidem de iis quae in comitiis acta refertur, simul tamen de imminente Regia electione agitur, ac ad eam nuntii leguntur, qui mandata ad quae se componant, recipiunt. Eiusmodi conventus primum a. 1573. post prima convocationis comitia, celebrati. Antea dubitatum, num haberi debeant, nonnullis etiam supervacuos esse credentibus. Sed vicit maior pars conventus flagitans, quibus antequam ex comitiis convocationis discederetur, dies dicebatur (*).

(*) Heidenst. p. 23.

CAP. IV.

De
Regis electione.

- §. I. Nondum certus electionis regiae modus est scriptus, consiliis & opera pro illo irritis.
- §. II. Hinc ex usu noscendus. §. III. Comitibus electionis dies quomodo constituatur. Spatium inter haec & convocationis comitia incertum, quod post mortem Ioannis III. longissimum fuit. §. IV. V. Electio ubi & a quibus celebretur. Nobiles & singuli adsunt, & nuntios mittunt. §. VI. Licet quibusdam Poloniae & Lituaniae civitatibus electioni interesse. Quae illarum facultas. §. VII. Alia maiorum civitatum in Prussia ratio. Ex quo tempore suos ad electionem mittere desierint, iure antiquo salvo. §. VIII. Duces Prussiae frustra censendi potestatem in Regum electionibus postularunt. Scriptum suffragium in electione Ioannis Casimiri & Ioannis III. exhibitum. §. IX. Ducibus Curlandiae & Pomeraniae suffragandi facultas data non est. §. X. XI. Regni exercitus & Cosaci, cum eandem peterent, reiecti. §. XII. Eligunt Regem Ordines ex Polonia, Litvania, & provinciis reliquis. De iure Litvanorum & Prussorum speciatim. §. XIII. Securitas ad electionem proficiscentium & inde rede-

redeuntium, qui aliis iniuriam inferre pariter vetantur. Armati in electionis campo. §. XIV. Comitium ibidem. §. XV. Nobiles qui praeter nuntios adsunt, extra comitium agunt. §. XVI. Comitiorum electionis initium. Mareschalcus nuntiorum. Exempla duorum in unis comitiis. §. XVII. Iusiurandum Mareschalci. §. XVIII. Nuntii Senatum accedunt. Primas de quibus agendum ad Ordines refert. Iudicium capturale generale. §. XIX. Securitas in campo. Turbae nonnunquam. §. XX. Exorbitantiae. Cura ut corrigantur, semper fere sine successu. Quid ante Michaelis electionem effectum. §. XXI. Pacta conventa novi Regis quando olim & a quibus scripta. Quid de tempore leges praecipiant. §. XXII. Comitiorum tempus saepe contentionibus teritur. Impatientia ex longiore mora. §. XXIII. Tempus intra quod comitia peragenda. Spatium illud prorogatum. §. XXIV. Regni candidati indigenae & extranei. Post Ioannem III. lex indigenam non admittit. Quid mortuo Augusto II. nonnulli contra exteros conati. Piasci vocabulum. §. XXV. Regum filii aliis praelati. In sola Ioannis III. sobole diversum placuit. Regis filia Regina, & Rex ut eius maritus esset, electi. Cives commendati & in fastigium regum evecti. §. XXVI. Rationes

tiones contra Regem ex civium numero.
§. XXVII. In exteris opum non postrema
habenda ratio. Quanto illae usui sint.
§. XXVIII. Non nisi Romanus catholicus
eligendus. Bulla Sixti V. Leges de eligen-
do catholico Romano. Additamentum pro-
ximi interregni a Republica reiectum. Va-
nus rumor de eligendo lutherano. Arcet
diversa religio candidatos a regia dignitate.
Augusti II. exemplum. §. XXIX. Can-
didatus ne in campo praesens sit. Ex hac
causa Vladislai adventus Varsaviam displicuit.
Quid de Michaele & Ioanne III.
sentiendum, qui suae electioni interfuerunt.
§. XXX. Candidati per legatos regnum
petunt. Legati quales, si candidati indi-
genae. Ab exteris Principibus indigenae
commendati. Indigenas, qui regnum no-
luerunt, commendat equestris ordo. §.
XXXI Legati exteri ne tempore electio-
nis Varsaviae aut in campo versentur.
Vfus recentiorum temporum. §. XXXII.
Legatis dies, quo audiendi, datur. Pri-
mus auditur Papae Nuntius, post hunc
Caesaris orator. Hispanus aegre fert,
praelatos sibi Regis Galliae legatos. Sveci
queruntur, quod Moscicus prior admissus.
Caesaris orator voluit illo die, qui Svccis
statutus, audiri. Legati diem sibi datum
interdum non obeunt. Exemplum legati
non coram sed per litteras agentis. Pluri-
um

um Principum oratores una auditi. §. XXXIII. Missi ab Ordinibus ad legatos, qui eos in confessum deducant. §. XXXIV. Quomodo excipiantur. Illorum sedes. §. XXXV. Olim sub tecto, iam sub dio audiuntur. Umbraculum Primati positum, quod minime tulit nobilitas. §. XXXVI. exhibitae a legatis fidei litterae publice leguntur. Reverentia erga Papam. Titulus Serenissimae Reipublicae, de quo cum Caesaris legato contentio. §. XXXVII. Legati voce candidatos commendant. Qua lingua utantur. Bohemici sermonis exemplum. Papae Nuntius interpellatus. Tradita legatio recitata. Conditiones candidatorum typis expressae. Legati non omnes auditi. §. XXXVIII. Legati dato responso dimittuntur. §. XXXIX. Candidati litteris commendati. Alii legati praeter eos qui candidatorum causa venerant. Ducis Curlandici & Hani Tattarorum. §. XL. Ex candidatis optimus eligendus. Pretium & vis legibus vetantur. §. XLI. Aemulatio inter Franciae Regem & domum Austriacam. Exemplum candidati a Caesare & Rege Franciae commendati. §. XLII. Electionis ordo, quae ut perficiatur Primas monet. Hymnus & precatio. Primate mortuo aut ex aliqua causa absente, partibus eius Episcopus maioris Poloniae defungitur. Episcopi Cracoviensis

ensis exemplum. Palatinatus, ex quibus tantum nuntii adsunt, in comitio, ex quibus singuli venerunt nobiles, in campo extra comitia, de candidato consultant.

§. XLIII. *Diversus censendi modus. Quales hodie obtineat.* §. XLIV. *Non eligendus Rex, nisi qui iura confirmaturus. Quod ab ipso iusiurandum praestandum. Modus suffragandi.* §. XLV. *Suffragia in unum conferenda. Quando & quo modo novi Regis renuntiatio peragi debeat.* §. XLVI. *Exempla renuntiatorum Regum, in quos non omnium consensus.* §. XLVII. *Primatis est Regem renuntiare. Quis illo mortuo aut absente Regem declaret. Regis nominatio irrita, licet a Primare peracta.*

§. XLVIII. *Repetit renuntiationem Regni Mareschalcus. Declarationis a Cancellario repetitae exemplum. Te Deum laudamus & alia publicae laetitiae signa.*

§. XLIX. *Distractis in partes Ordinibus duo nonnunquam pro uno Reges electi.*

§. L. *Post electionem sacra in urbis templo Ioanneo, quibus novus Rex, si praesens, adest. Ordinibus quod suffragia contulerint, in campo gratiae actae. Electo Regi a Mareschalcis scipiones, sed demissi, praeferuntur.*

§. LI. *Ad scribenda pacta conventa, modo post, modo ante electionem, ex utroque Ordine nominati. Horum numerus. Vbi scribantur. Iusiurandum praestitum*

stitum ab illis qui pacta scripturi. Qua lingua componantur, & quid contineant. Scripta pacta ab Ordinibus expenduntur, quod interdum factum non est. Legati novi Regis illa probant. Nomina Senatorum & nobilium subscripta, quibus quarundam civitatum accesserunt. Subscriptiones cum aliqua exceptione. Mandatum legatorum regionum adiectum. §. LII. Legati in pacta iurant. Exempla legatorum non catholicorum qui in pacta iurarunt. Iurisiurandi formula. §. LIII. Reges praesentes statim iurant. Iusiurandum restrictione mente praestitum. Iurisiurandi formula, cui praesentium nomina adscripta. §. LIV. Decretum electionis, quod Regi si praesens, post iusiurandum in pacta traditur. Reddidit Ordinibus electionis decretum Ioannes Casimirus, cum se regno abdicaret. §. LV. Extraneus si Rex electus, per Reipublicae legatos invitatur. Vbi in pacta iuret, & electionis diploma recipiat. Exempla duorum diplomatum, uni Regi exhibitorum. §. LVI. Comitiorum electionis finis. Exequiis defuncti, & inaugurationi novi Regis, tum comitiis post inaugurationem habendis, dies dicuntur. Comitia pro firmanda Regis electione. Foe-
 dus ex eadem causa. §. LVII. Acta in electione typis expressa, additis in novum Regem suffragiis. §. LVIII. Peractae electioni

electioni a nemine contradicendum. Con-
tradictionis eiusmodi exemplum.

§. I.

Modus quo Rex eligendus, in legibus per-
scriptus non est, cum quae de hoc in
confoederationibus generalibus leguntur, pau-
ca sint, & minime totum illud negotium,
quod tamen in praecipuis, absolvant. Agi-
tatum quidem de eo, Sigismundo Augusto vi-
vente in comitiis, sed nihil constitutum,
quod in aliud tempus differri placebat (*). In
conventu Andreioviensi a. 1576. Ordines de-
cernebant, ut in primis post Stephani inaugu-
rationem comitiis, de modo liberae electionis
consultaretur (**). Interiectis aliquot annis,
Stephanus a nobilitate rogatus, de electione
Regia ad Ordines retulit, ut certi quid sancir-
retur. Quod frustra fuit, aliis existimanti-
bus, minui eligendi libertatem, si legibus
clauderetur; aliis suspicantibus, Regem dum
eligendi modum commendaret, contra ipsam
electionem aliquid moliri (***) . Sigismundo
III. Rege renuntiato, in conventu Vislicensi,
idem negotium illis fuit commendatum, qui
comitiis post Regis inaugurationem interfuturi
(****), & cum a. 1589. de eo deliberaretur,
mutuis suspicionibus accidit, ut in aliud
tempus differretur (+). Mansit inde electio-
nis modus, legibus descriptus, inter ea, quae
adhuc desiderantur: . cuius utilitatem Primas
in

in electione Michaelis frustra commendavit, dolens, maiores saltem de illo cogitasse (†*).

(*) Heidenst. p. 5.

(**) Vol. Constit. p. 244.

(***) Heidenst. p. 200. 201. 202.

(****) Vol. Const. p. 438.

(†) Heidenst. p. 285.

(†*) Zavad. Histor. arc. p. 28. Zal. Ep. T. I.
P. 123.

§. II.

Hanc ob causam pleraque eorum, quae in Regis electione obtinent, usus suggerit, qui ultra mortem Sigismundi Augusti non est repetendus. Ab hoc enim tempore solennia illa, quibus electio celebratur, coeperunt.

§. III.

Dies quo electionis comitia inchoanda, ab Ordinibus in convocatione constituitur, ut proximo capite dictum. Spatium vero, quod convocationis & electionis comitia intercedit, certum non est, sed modo longius modo angustius evadit. Oportet tamen ut sit intervallum, quo commode minores conventus haberi, & nuntii etiam ex diffitis terris advenire possint. Amplum fuit spatium, quale nunquam, post Ioannis III. obitum, cum post rupta convocationis comitia, finitis die duo

duodectiesima Septembris consultationibus, electionis ad diem quintam decimam Maii sequentis anni edicerentur: quae octo fere mensium procrastinatio multis displicebat.

§. IV.

Olim ante novi Regis inaugurationem Cracoviae, aut Petricoviae, comitia erant. Ab illo tempore quo Sigismundus Augustus defunctus, non alibi, quam in campo sub Varslaviam, Reges electi. Non enim ad aliam civitatem facile transferri poterat electio, cum Varsavia ante finem Sigismundi Augusti, comitiis habendis constituta, & campus ideo placuit, quod urbis arx, in qua comitia alias celebrantur, multitudinem ad electionem confluentium, capere nequit. In convocatione a. 1573. Litvani Parczoviam, in magni Ducatus & Poloniae finibus oppidum, quasi caeteris esset commodius, frustra commendarunt, cum campus ad villam Kamieniam prope Varslaviam, trans Vistulam, omnium consensu praeferreretur (*): quod confederationi non insertum, dimissis per omnes provincias litteris edicebatur. Post Henricum, Reges cis Vistulam ad vicum Volam electi, qui locus in *confederationibus* interregnum generalibus a morte Stephani nominatur. Augustus III. non sine iusta ratione, ad Henrici exemplum, prope Kamienam Rex creabatur. Novissime in comitiis *pacificationis* a. 1736. perpetua lege sancitum, ut electio non alibi

alibi, nisi inter Varſaviam & Volam peragatur (**).

(*) Heidenſt. p. 18. 22.

(**) Conſtit. a. 1736. tit. Prerogatywy p. 95.

§. V.

Eligunt Regem Senatores & nobiles, hique non tantum ſuo nomine nuntios mittunt, ſed & ſinguli, quotquot volunt, confluunt. Ante Henrici electionem quaesitum, num quilibet nobilis iure ſuffragii gaudeat, & in hoc Senatori par ſit; quod affirmavit *Io. Zamoſcius*, praefectus illo tempore Belcensis, aequum eſſe cenſens, ut ſinguli Regem eligant, cum ſinguli arma pro patria ferant; ſimul ad Sigismundi I. ſtatutum provocans, in quo perhibetur, cuivis ex Ordinibus, qui voluerit, adire electionis comitia licuiſſe, cui conſuetudine in poſterum derogetur, idem Sigismundus praecipit (*). Hanc *Zamoſcii* ſententiam omnium conſenſus excepit, & perpetuus uſus probavit. Quamobrem in *confoederationibus* generalibus a. 1696. & 1733. nobiles monentur, ut ad electionem veluti ad expeditionem generalem ſinguli confluant (**), niſi quod in poſteriore, Litvani ſuis facultatem decernendi integram ſervant, num ſinguli, an miſſis tantum nuntius aſſeſſe velint.

(*) Heidenſtein p. 22. Priluſ. Stat. p. 12.

(**) Conſtitur. §. Upatruiać zaſ.

§. VI.

§. VI.

In *confoederatione* generali a. 1632. primū urbem Reipublicae, quibus ius esset, ad electionem vocabantur, quod in sequentibus repetitum (*), in ultima a. 1733, ommissum. Hinc suffragiis Vladislai IV. a. 1632. missi a civitatibus Cracovia, Posnania, Vilna, Leopoli, sua nomina, quique in fine Palatinatus sui, adscripserunt: quae etiam inter suffragia Ioannis Casimiri & Ioannis III. occurrunt, inter Augusti II. vero, Cracovia tantum & Leopoli leguntur. Pactis conventis Michaelis, praeter memoratas etiam Varsavia subscripsit. Unde patet, in *confoederationibus* per Reipublicae civitates, quibus electioni adesse licet, Cracoviam, Posnaniam, Vilnam, Leopolim & Varsaviam intelligi, quarum tamen non amplior est facultas, quam ut nobilitati assentiant.

(*) §. Upatruiac.

§. VII.

Civitatum Prussiae alia est ratio, ex quibus maiores, Thorunium, Elbinga, Gedanum, Prussici Senatus pars, ad electionis comitia profectae, ut seorsum cum Prussiae Ordinibus, tum de novo Rege, tum de iis quae ex provinciae suae utilitate essent, consultarent, ac suum suffragium, ore primi ex Prussia Senatoris, qui omnium Ordinum nomine censēbat, proderent (*). Inter suffragia in Ioan-

Ioannem Casimirum collata, Palatinatui Culmenfi, civitates Prussiae maiores adduntur, & Ioannis III. electioni, Episcopus Varmienfis nomine absentium civitatum maiorum subscripsit. Cum igitur in *confoederatione* generali a. 1648. sanciretur, ut civitates quae vellent ad Regis electionem admitti, hanc suam postulationem, in ipsis electionis comitiis, indubitatis privilegiis & iuribus probarent (**), civitates Prussiae maiores publico scripto coram iudicio Zacrocimensi caverunt, ne illa lege, cui haud obnoxiae, censerentur (***) . Quod ad hodiernum usum attinet, desierunt post Ioannem Casimirum civitates illae sua sponte, electionis comitia adire, iure tamen earum salvo, cui etiam ultima *confoederatio* generalis a. 1733. prospexit (****), ut alia, quae illud firmant, omittam.

(*) Vid. binae nostrae dissert. de norma regiminis Prut. §. 13. 14. & hodie. Reipub. Prut. facies §. 7. 8. Histor. Pruss. T. III. p. 53. 54. 158. T. IV. p. 20. 21. T. VI. p. 15. 16. T. VII. p. 33. 34.

(**) P. 20. §. Miaſta Ktore.

(***) Histor. noſt. Pruss. T. VII. Doc. p. 17.

(****) §. Upatruiac.

§. VIII.

Cum Regni Ordinibus, olim Prussiae Duces

ces ad Regis electionem admitti voluerunt, hanc suam postulationem, singulis interregnis usque ad annum 1674. quo Ioannes III. Rex creatus, urgentes: quam Sigismundus I. insolitam & Regni institutis adversam iam suo tempore habuerat, & ut illa desisteret, ab Alberto I. Prussiae Duce exegerat (*). Quoties postea Duces eo nomine Ordines compellarunt, hi satius duxerunt, Sigismundi I. iudicio stare, quam in disceptationem descendere, aut illis inter suffragatores ultro locum permittere. Electo Vladislao IV. legatis Ducis qui illud postulaverant responsum, Ordines per alia negotia, ius Ducis expendere nequivisse, auctores tamen esse, ut illud vel novi Regis, aut certorum arbitrorum decreto permitteret (**). Neutrum Duci placuit, cuius oratores sub electione Ioannis Casimiri suffragium scriptum Primati exhibuerunt, quod is quidem, nullo priorum temporum exemplo, recipiebat, actis tamen interregni, Ordinibus contradicentibus, haud inferebatur. Ducis autem legati, omissum esse aegre ferentes, ne id iuribus officeret, publicis litteris post novi Regis inaugurationem cavebant (***) . Perstitit in iure suffragandi, quod sibi antea Dux Prussiae asseruerat, etiam cum clientela exsolutus esset; ut ipsi Ioanni III. electo, per legatum scriptum suffragium, & aliud exemplum Episcopo Cracoviensi, a quo novus Rex renuntiatus erat, exhiberet. Uterque illud recepit, & recepti testimo-

testimonium Episcopus litteris reddidit, suffragium illud, quasi suffragium appellans, quod non ac si iure Electori concessum, sed ut signum benevolentiae & humanitatis erga Regem electum accepisset. Mareschalco autem nuntiorum legatus suffragium frustra obtulit, cum accipere recusaret (****).

(*) Priluf. Stat. p. 784. Hist. noſt. Pruff. T. I. p. 126.

(**) Hist. Pruff. T. VI. p. 14.

(***) Histor. noſt. Pruff. T. VII. p. 32. 48. Pufend. de reb. Frid. Vilh. Lib. III. §. 27.

(****) Pufend. XII. 80. Zalusc. Epist. T. I. p. 673.

§. IX.

Idem suffragii ius in electione Henrici, Duces Curlandiae & Pomeraniae, per legatos suos obtinere nitentur. Et Dux quidem Curlandiae, quod Regis & regni cliens, cuius multum interesset, qualis Princeps eligeretur. Duces Pomeraniae veteres consuetudines & exemplum proavi Bogislai, qui post mortem Ioannis Alberti, ad electionem novi Regis Petricoviana vocatus fuisset, allegabant. Non alius tamen legationum fuit fructus, quam ut repulsam referrent.

Rielse. Chron. p. 694. 695.

§. X.

In convocationis comitiis a. 1632. milites depo-

G

deposcerunt; ut ad electionem admittentur (**); sed diversum placuit Ordinibus, qui in generali illius anni *confederatione*, electioni se immiscere; militibus interdixerunt; idque in *confederationibus* a. 1648. 1658. 1674 repetierunt (***) . Possunt tamen nobiles indigenae qui militant; ut nobiles; non nomine exercitus, iure suo in electione Regia tuti (***) .

(*) Piasec. Chron. p. 444.

(**) §. Waruemy y to.

(***) Piasec. l. c.

§. XI.

Cosaci qui in iisdem a. 1632. comitiis, idem quod milites, experebant, non sine indignatione audiebantur, quod ex infima plebe coluvies nobilibus aequari vellet: hoc illis dato responso, quod neque ad electionem, neque ad ulla publica consilia pertinerent; sed esse Senatorum & nobilitatis de Republica agere.

Piasec. Chron. p. 444.

§. XII.

Senatores autem & nobilitas, a quibus Rex eligitur, sunt ex Polonia, Litvania, & provinciis Poloniae ac Litvaniae iunctis. De Polonis nullum potest subnasci dubium. Litvanis tum per antiquiora non unius temporis, tum

tum per ultimum a. 1569. foedus cautum, Regem iunctis suis cum Polonorum suffragiis creandum esse (*). Cum post Henricum Poloni discordes, pro uno duos designarent Reges, ~~lituanici~~ Litvani suum consentum post Scepiani inaugurationem differabant, cui obsequium suum per legatos profitebantur: impetrato vicissim pro suo iure regio diplomate, ne in eius diminutionem cedat, quod sine ipsorum suffragio Rex electus esset (**). Ex pari dissensione Polonorum, Sigismundo III: absque Litvanis regnum delatum, qui tam dehum accesserunt, cum regiis insignibus condecoratus esset (***). In Michaelem & Ioannem III. Poloni iam contulerant suffragia, Litvanis adhuc ambiguis, sed non prius Reges declarabantur, quam hi assenserunt (****). Quod ad Prussos, hi in pacto deditio- nis suae, seu *incorporationis privilegio*, facultatem una cum regni Ordinibus Regem eligendi obtinuerunt: & cum ipsis absentibus Sigismundus Augustus, vivente patre, Rex crearetur, ius suum laesum querebantur, quo ut uterentur, sua suffragia addebant (†). Sigismundus I. etiam declarabat, saluum esse Prussorum ius, quamvis filius sine illis Rex factus esset, & si in posterum electionem celebrari contigerit, Ordines Poloniae, antequam illam aggrediantur, Prussos de ea certiores reddere, & eos pro antiqua consuetudine, ex privilegiorum praescripto, vocare

& admittere debere. Quod diploma inter *iura municipalia terrarum Prussiae* habetur. Stephanus sine Prussis electus, post inaugurationem ab illis Rex receptus, cavet, ut Prussi perpetuis temporibus, communi cum Polonis electionis iure uterentur (*). Reliquae provinciae, ut in caeteris, ita & eligendi potestate, Polonis & Litvanis aequatae, eam continuo usu exercuerunt. Quam ob rem novi Reges in pactis suis conventis praedicant, se suffragiis omnium Ordinum utriusque gentis Poloniae & Litvaniae, singularumque provinciarum illis iunctarum, in regium fastigium electos esse.

(*) Commentar. nost. In pacta conventa Augusti III. p. 3.

(**) Heidenst. p. 100.

(***) Heidenst. p. 261. 284.

(****) Zal. Epist. T. I. p. 126. 127. 557. 558.

(†) Histor. nost. Pruss. T. I. p. 83. 85.

(†*) Hist. Pruss. T. III. Document. p. 69.

§. XIII.

Ne autem proficiscentes ad electionis comitia redeuntesque, in itinere iniuriam recipiant, aut ipsi aliis inferant, confederationes generales provident (*). Eaedem ventant, cum hominibus exteris aut tormentis bellicis bombardisque in electionis campum

campum venire, secus facturos hostes patriae declarantes (**); pro quibus etiam *confoederatio* a. 1674. (***) illos habet, qui cum turmis militaribus indigenis ad electionem, & cum bombardis ad vallum in electionis campo, accedere ausi fuerint. *Confoederatio* a. 1733. illis, qui armatis stipati antiquo iure adesse possunt, sua vexilla demum ad Varsaviam explicare praecipit (****).

(*) Konfed. gener. a. 1573. §. Obiecuemy też. a. 1587. §. A ci wszyscy. Add. confoederaciones sequentium interregnorum.

(**) Konfed. a. 1587. §. Cudzoziemców zadnych. a. 1632. §. Z strony. Quod Confoederaciones a. 1646. 1668. 1674. §. eod. a. 1696. §. Mieysce. a. 1733. §. A strony firmant.

(***) §. Z strony.

(****) §. A że po przestłych.

§. XIV.

Locus, ubi ante Regis electionem consultatur, fossa & vallo clauditur, habetque tres portas, unam orientem pro maiore, alteram meridiem pro minore Polonia, tertiam occidentem versus pro Litvania. Ibidem pro Senatu aedificium ligneum asseribus adversus solem & pluviam tectum, lateribus velis obductis, subitarium opus, ad unum illum actum excitatum, *Szopa* Polonis dictum. Extra aedifici-

edificium conveniunt nobilitatis nuntii, vocaturque spatium illud vulgo *Keto*, latine *circulus*, aut *corona*, nostratibus *rota equestris*. Potest esse totum illud spatium commode *comitium* appellari, quod ibi *comitorum* more *consilia* conferuntur, in quam rem a *Regni & Litvaniae Mareschalcis*, quibus hoc ab *Ordinibus* iniungitur, aptatur. In electione *Henrici Regni* supremus *Mareschaleus*, temporum pro *Senatu*, ex defuncti *Regis* supellectile, poni curavit (*). Fossae circa *comitium* prima fit mentio in *confederatione* a. 1587. (**), *lignei Senatorum aedificii* non ante *confederationem* a. 1696. (**); *historia* autem *comitii* septa iam in *Stephani*, & *aedificium senatorium ligneum* in electione *Sigismundi* (****) memorat. *Cum* autem *comitii*, ut *instruatur*, *utriusque gentis Mareschaleis confederationes* a. 1632. 1648. 1668. (†) mandant.

(*) Heidenst. lib. I. p. 247 c. 9 s. 2. (***)

(**) Vol. Const. p. 414. §. Upatrujac.

(***) S. Miecse. Konfed. a. 1733. c. 9. §.

(****) Heidenst. p. 90. 250.

(†) S. Miecse.

§. XV.

Qui praeter nuntios, ad electionem confluent nobiles, longius a *comitio*, quisque in suo *Palatinatu*, cui locus a *Mareschalcis* designatus, sub *tentoriis* agunt, ut *exercitus* in castris

stis consistentis, praebeant, speciem. Horum non aliae sunt partes, quam ut suffragia in Regni candidatos conferant, Senatoribus & nuntiis reliqua, quae electionem praecedunt asequuntur, peragentibus.

§. XVI.

Hi, ut a sacris initium faciant, adeunt die, quo inchoanda comitia, aedem S. Ioannis, ubi missa a Papae Nuntio aut Gnesnensi Archiepiscopo, & sacra concio ab aliquo Episcoporum habetur. Tum ex urbe in campum itur, & nuntii in suo circulo pro more Mareschalcum sibi constituunt. In comitiis quibus Augustus II. Rex electus, contra veterem usum, praeter nuntios, singulis nobilibus Mareschalcum creandi potestas data, ut dum tantae multitudinis suffragia exciperentur, quatuordecim dies transirent (*). In *confoederatione* a. 1733. nobilitati permittitur, ut modum creandi Mareschalcum vel in conventionibus relationum, vel initio comitorum electionis decernat (**). Plures dies, imo interdum aliquot hebdomades abeunt, antequam de Mareschalco consensus, competitorum partibus acriter inter se contententibus, cum Mareschalci auctoritas non leve ad electionem regiam momentum adferre credatur. A. 1669. duodecimo comitorum die, & a. 1697. post integrum mensem nobilitas Mareschalcum accepit. Quo ergo negotium hoc festinaretur, equestris ordo in *confoederatione* a. 1733. (***) monebatur, ut,

ut, nisi posset primo comitiorum die, Mareschalci electionem quam celerrime absol-
veret. In comitiis tamen quae sequebantur,
non prius quam septimo die negotium hoc per-
fici poterat. Caeterum est lex generalis de Ma-
reschalco primo comitiorum die declarando,
quae alio loco, ubi de comitiis genera-
tim agetur, memorabitur. De Mareschal-
co in electionis comitiis addo: nullum me-
morari in electione Henrici, & quamvis
Niescius (****) nominet Czarncovium,
sententiam tamen eius teste destitui; in ele-
ctione Stephani distracta in partes nobilitate,
pro iis qui Piasium volebant, Nic. Sienici-
um Chelmensem Succamerarium verba fecisse
(†); diversis sub electione Sigismundi III.
Ordinum studiis, duos Mareschalcos, Caspar.
Demblinium & Paulum Orzechovium creatos
(†*), & in Vladislai IV. electione contentio-
nes de Mareschalco coepisse, aliquot diebus
tum per dissensum absumtis (†**). Nostra
aetas duos in unis comitiis Mareschalcos vidit,
Antonio Poninscio a. 1733. electionem AV-
GVSTI III. feliciter finiente, cum prior
Franc. Radzevius in alias partes secessisset.

(*) *Zaluf. Epist. T. II. p. 327. 328. 334. Oz-
naimienie Krola a. 1697. Const. T. V. p. 978.
edit. nova.*

(**) *Konfed. a. 1733. §. Obieranie.*

(***) *§. Obieranie.*

(****) *Ko-*

(~~****~~) Korona Polska T. I. p. 279.

(†) Heidenst. p. 90.

(†*) Heidenst. p. 250. 261.

(†**). Piafec. Chron. p. 447.

§. XVII.

Novus Mareschalcus, statim iurat per Deum & sanctam Christi crucem, se in officio suo fidelem fore, ac diploma regiae electionis non traditurum, nisi legitimo omnium & singulorum consensu electo. Coepit Mareschalcus comitiorum electionis a. 1669. iureiurando obstringi, sed alia & quidem ampliori formula (*), quae sequenti interregno a. 1674. in breviorē, quam modo memoravi, immutata (**). In electione Augusti II. voluerunt nonnulli novam iuramentandi formulam, sed per aliorum contradictionem prior mansit (***)

(*) Porządek Elekcyi a. 1669. p. 8. tit. Praysięga.

(**) Porządek Elek. a. 1674. p. 8. da. Praysięga Im. P. Marzalka.

(***) Zaluf. Epist. T. II. p. 330.

§. XVIII.

A. 1697. cum nobilitas in suo circulo, in Mareschalci electionem intenta esset, coram Senatu duo Episcopi a defuncto Rege nominati, iusiurandum Senatorium praestiterunt (*); quod nuntiis praesentibus fieri non poterat,

cum illi Senatorem, non nisi sub novo Mareschalco adeant. Peracta eius electio, a tribus legatis, uno ex quavis gente, Senatoribus nunciatur, qui vicissim totidem ex suo ordine missis, nobilitatem ad se invitant. Post accessum, & mutuum Mareschalci & Primatis salutationem, hic de quibus agendum refert, concordiam, securitatem in campo, pacta conventa futuræ Regis, exorbitantias, electionis, accelerationem, & alia pro tempore commendans; non omittis quæ a comitiis convocationis acciderunt, & quæ scire omnium Ordinum interest, in quem finem ea quas ipse ex consiliariorum sententia perfecit, ac exterorum Principum litteræ leguntur. Reversis ad suum circulum numis, Mareschalci iudices *capturales*, quatenus ex quavis gente nominat, salva contradicendi facultate, si quis ex nominatis dispuerit, ut a. 1607. alius substitui deberet, cum uni contradiceretur (**). Constituitur enim *capturale* iudicium, ad distinctionem eorum, quæ interregni tempore in Palatinibus & minoribus tractibus vigent, *generale* dictum, quod omnes ex quocunque Palatinatu, tum exteri, qui in electionis campo & vicinis locis delinquunt, ab illo iudicantur. Vocatur non minus *compositum*, quia ex Senatorio & equestri Ordine componitur: præter nobiles enim, tres Senatores, ex quavis gente unus, a Primare lecti assident, simul Mareschalci utriusque gentis, qui sunt iudices per-

perpetui, ius hoc ex suo munere obtinentes. Huius iudicii iam fit mentio in electione Henrici (**), sed numerum iudicum *confoederatio* a. 1632. constituit, saneque ut ex formula iudicii tribunalitii iurent, & iudicia apud magnum Regni Marschalcum in civiles & criminales causas, eadem qua tribunalium iudices auctoritate, ex sententiarum pluralitate dum omnes Ordines congregati usque ad novi Regis inaugurationem exercent (***) Eadem in *confoederationibus* a. 1648, 1668 & 1674. §. *Waruiemy też to* leguntur *Confoederatio* a. 1696. in hoc ad priores, & ultima a. 1733. in primis ad *confoederationem* a. 1674. provocat. Iusiurandum vero quod a Senatoribus & nobilibus, tum a Marschalcis seorsum praestandum, ordinatio electionis a. 1632. exhibet (†), & sequentes reperiunt. Scriba huius iudicii est notarius terrestris Varsaviensis, qui iurat secreta se non revelaturum, habetque salarium, quantum notarius terrestris Siradiensis. Decretis vero subscribunt tres iudices, unus ex singulis gentibus (†*).

(*) Zalus. Epist. T. II. p. 327.

(**) Zal. p. 340.

(***) Vol. Const. p. 212.

(****) §. *Waruiemy też to*.

(†) Porządek Elek. a. 1632. p. 7. 8. tit. *Przy sięga.*

(†*) Porząd. Elek. a. 1632. p. 5.

§. XIX.

Ut autem in electione omnia tranquille & citra aliorum iniuriam fierent, scriptae primum in comitiis electionis Henrici leges (*), quae a. 1632. auctae & illustratae (**), ac in sequentibus electionibus probatae fuerunt, ita ut interdum aliquid omitteretur adiiicereturque. Ad has iudicium capturale in eos qui deliquerunt animadvertit. Praeter leges & iudicium capturale, militum mareschalcallum stationes, tum ad portas comitii, tum alibi excubant. Diffidendum tamen non est, electiones haud sine turbis peragi, caedes & vulnera, saepe impune inferri, ipsos etiam Senatores interdum in discrimen venire, quod in tanta hominum multitudine vix aliter fieri potest: quid, quod libertas gentis sibi nonnulla vindicare videtur, quae nunquam magis conspicua, quam interregnorum tempore, esse solet. In electione Sigismundi III. comitium sanguine foedatum, acies instructae & aedificium Senatorium exustum (***). In Michaelis, displosis ad vallum selopis glandes per comitium volabant, ut Senatores & nuntii, salutis suae consulturi ad portas ruerent, qui obversis in se selopis non sine ignominia sedes suas repetere adigebantur. Duo in vallo occubuerunt, unus vulneratus, plures extra comitium (****). In Augusti II. strictis acinacibus minae in milites mareschales, & comitium, ut Regni Mareschalcus de iniuria queri

queri necesse haberet; nudatum vagina fer-
rum in ipso nuntiorum circulo; prope horum
Mareschalcum nobilis sclopo exanimatus & ipse
Mareschalcus exitio aegre substractus (†).

(*) Vol. Const. p. 210.

(**) Forz. Elek. a. 1632, p. 1. f.

(***) Heidentf. p. 251. 252.

(ssss) Zavadz. p. 26. 27.

(†) Zal. Ep. T. II. p. 327. 330. 334. 336.

§. XX.

Postquam iudices capturales coram Ordini-
bus iuraverunt & leges pro tranquillitate & secu-
ritate probatae, *exorbitantiarum* fit mentio,
quae vox supra exposita (*). Hae ut ante omnia
tollantur, neque prius ad electionem & re-
nuntiationem Regis accedatur, *confoederationes*
ab anno 1587. (**), praecipiant: inter quas
confoederatio a. 1696. exigebat, ut statim pri-
ma comitiorum electionis hebdomade, sex
Senatorii, & quaterni ex singulis gentibus
equestris Ordinis, cum Regni & Litvaniae
ministris Senatoriis, *exorbitantias* corrigerent,
& tertia hebdomade coram Ordinibus recita-
rent, quo omnium consensu probarentur (***)
Quod tamen in electione factum non est,
quamvis id Ordines sibi invicem, fide & honore
spondissent. Idem & aliis temporibus acci-
dit, ut ab electione Sigismundi III, ea quae
emem-

emendanda, aut ad novam ante Regis inaugurationem consultationem, (****) aut ad comitia post inaugurationem differri debuerint, praeter ea quae pactis conventis Regum inferebantur (†). In solis electionis comitiis a 1669. non plane frustra fuit opera. Cum enim quaterni ex singulis gentibus Senatores, praeter eiusdem Ordinis Ministros a Primatate nominati, ac bini ex singulis Palatinatibus, & singuli ex minoribus tractibus a nuntiorum Marschalco lecti nobiles, in Senatorium conclave arcis Varsoviensis convenissent, post aliquot dierum deliberationem, exorbitantias nonnullas correctas Ordinibus exhibuerunt, qui cum probassent, reliquas emendandas ad comitia post Regis inaugurationem reiecerunt (†*).

(*) Lib. II. c. 3. §. 19.

(**) Vol. Const. p. 410. §. Vulnere Reipublicae. Confod. sequentes §. A iż w. Confod. 1696. §. Upatrując zaś. Confod. 1733. A iż pod.

(***) Confod. 1696. §. Upatrując zaś.

(****) Vol. Const. p. 438. §. Także też.

(†) Porządek Elekcyi a. 1632. 1648. 1674. tit. Osnáymienie Krola.

(†*) Zawadzius p. 4. 6. 55. Porz. Elekc. a. 1674. tit. Exorbitancye. tit. Osnáymienie Krola.

§. XXI.

Olim electionem aut electi Regis renuntiationem

tionem fere semper pacta conventa praecedebant, de quibus nonnulla alio loco (*) diximus. Ad ea conscribenda, ex utroque Ordine delegati, antequam in Henricum suffragia conferrentur (**). Stephanus vero iam erat electus recunctatusque, cum de pactis ageretur (***) : quae constituta, Sigismundo III a Primate Rege iam declarato, sed nondum a Regni Mareschalco renuntiato (****). In electione Vladislai IV. lecti a Primate ad pacta conventa terni Senatores ex singulis gentibus, quibus nobilitatis nomine aliquot Mareschalcos nuntiorum adiecit. Collatis in eundem Vladislauum suffragiis, lecta coram Ordinibus pacta & ab his probata, in quae cum Vladislai legati iurassent, Primas ipsum Regem declaravit (†). Cum eligendus esset Ioannes Casimirus, Interrex auctor erat, ut ante pacta conventa suffragia exciperentur, sed aliud placuit Ordinibus, in quorum confesso prius pacta Vladislai IV. recitata, ut Ioanni Casimiro servirent, emendandi addendique si ita visum facultate integra. Secuta electio, & postquam novi Regis legati solenni more in pacta consensissent, Primatis voce renuntiatio (†*). Hinc *confœderatio* a. 1668. pactorum conventorum ante Regis nominationem & denuntiationem meminit (†**): verum in electione, quae secuta, altero a Regis renuntiatione die, pacta conventa scribi coeperunt (†***). Ex hoc tempore obtinuit, ut pacta illa, Regum

gum renuntiationem exciperent, licet *confoederationes* posteriores verba ex citata modo *confoederatione* repeterent (†****); electo Ioanne III. multi mutatum ordinem quererentur (‡); nec non *confoederatio* a. 1696. praeciperet, ut pacta conventa simul cum *exorbitantiis* priua comitorum electionis hebdomade, scripta, tertia hebdomade publice legerentur (‡*); Primas etiam in electione Augusti II. moneret, ut post pacem externam & domesticam, praecipua pactorum conventorum ratio haberetur (‡**).

(*) Lib. I. c. 3.

(**) Heident. p. 27.

(***) Heident. p. 92.

(****) Heident. p. 263.

(†) Piafec. p. 453. 455. Histor. nostr. Pruss. T. VI. p. 16.

(†*) Hist. nostr. Pruss. T. VII. p. 34. 35.

(†**) Konfed. a. 1668. p. 2. §. naprzod.

(†***) Zawadz. p. 43.

(†****) Konfed. a. 1674. §. y nic. a. 1696. §. Pro fundamento. a. 1733. §. A iako.

(‡) Zawadz. p. 406.

(‡*) §. Upatruiac.

(‡**) Zalusc. Epist. T. II. p. 338.

§. XXII.

Praeter dicta, in comitio etiam de aliis sermones incidunt, ubi diffidendum non est, multum temporis per contentiones sine omni fructu perire. Si sententiarum est consensus, lex scribitur, secus de quo actum, aut in medio relinqui, aut in proxima post novi Regis inaugurationem comitia differri solet. Quando vero protrahuntur consilia, ut pauci admodum dies ex spatio comitiis constituto supersint, monet Primas, urget etiam nobilitas, ut omissis aliis, ad electionem accedatur; evasitque res a. 1669. in tumultum, cum esset suspicio, electionem nonnullorum artibus tardari (*).

(*) Zalust. Epist. T. I. part. 1. p. 122. 123. Zavadz. p. 25. f.

§. XXIII.

Circumscribuntur enim electionis comitia in *confoederationibus* certo spatio, factumque primum a. 1632. ut sex hebdomades illis assignarentur (*): quod sequentes (**), praeter confoederationem a. 1674. repetunt. In hac enim tempus ad tres hebdomades redigitur (***) . Non tamen ab anno 1632. electiones intra constitutum tempus absolvi potuerunt, sed dies aliquot omnium consensu adiicere necesse fuit. Solus Augustus III. ultima sextae hebdomadis die Rex renunciabatur.

(*) Konfed. a. 1632. §. Upatruias.

H

(**)

(**) A. 1648. 1668. 1696. 1733. §. Upatruiac.

(***) Konfed. a. 1674. §. Upatruiac.

§. XXIV.

Eligitur autem Rex, vel ex indigenis vel ex peregrinis, fueruntque ab obitu Sigismundi Augusti, praeter Polonos, Germani, Galli, Itali, Mosci, Sveci, Dani, Transilvani, inter regni candidatos, quod nullam nationem, qualis illa fuerit, leges ab hoc fastigio arceant. In *confoederatione* a. 1696. Ordines providendo, ne per *plurium ambitionem turbetur aut destrabatur Respublica*, ad mentem omnium ferre Palatinatum, indigenas numero candidatorum eximebant, & se invicem fide, honore, & conscientia obstringebant, quicumque ex civibus regnum petiturus, aut eum nominaturus esset, patriae hostem habere (*). Ultimo interregno a. 1733. nonnulli haud alium nisi verum Polonum eligi volebant, quorum tamen studium Respublica minus probavit. Caeterum indigenae Piasti vocabulo insigniuntur, a bono illo Piasto Crusvicensi, qui ex ruricola, miraculis adiutus, Polonorum Princeps evasisse memoratur.

(*) §. Więc iáko.

§. XXV.

Intelliguntur autem per indigenas, tum Regum filii in Polonia nati, tum cives alij. Illi omnibus praelati fuerunt, excepta Ioannis III. sobole,

sobole, a qua adeo averſi animi, ut præci-
 pue propter hanc, omnibus civibus aditus ad
 Regiam dignitatem præcluderetur. Cum poſt
 obitum Sigismundi Auguſti, ex domo Regia
 nulla ſuper'eſſet virilis ſtirps, fuerunt qui ex
 civibus ſucceſſorem commendarent, quorum
 tamen ſententia neglecta, imo in riſum verſa fu-
 it (*). Abdicato Henrico, majus pro Prin-
 cipe indigena ſtudium, qui argumentis defen-
 ſus, cum alii, regno minus utilem, demon-
 ſtraſſent. Fuerunt etiam a maiore nobilitatis par-
 te duo Senatores commendati, ut alteruter il-
 lorum eligeretur; quod cum fruſtra fieret,
 ipſi illi, qui pro ſolo Piaſto niti videbantur,
 Tranſilvaniae Principem Stephanum prætulere-
 runt, ſimul Annam, unicam Sigismundi I. in
 Polonia ſuperſtitem, quinquaginta duorum an-
 norum filiam, Reginam declarantes, novo
 Regi matrimonio iungendam (**). Poſt Io-
 annem Caſimirum, filiorum Sigismundi III.
 ultimum, And. Olczovius Culmenſis Epiſco-
 pus & Regni Procancellarius, civem mirifice
 laudavit, hunc exteris, & inter cives Michae-
 lem Viesnovicium, præferens (***) : cuius
 rationes alio loco (****) expendimus, quas
 eiſdem illius Michaelis infelix regnum plenis-
 ſime confutavit. Ipſum Olczovium ſui iudicii
 poenituit, ut ſequenti interregno, electioni
 ſe immiſcere nolle, ne eius errorem Reſpu-
 blica iterum lueret (†). Electus tamen in
 Michaelis locum iterum civis, Ioannes Sobie-
 ſcius

sciis, supremus regni Marefchalcus & exercitus Dux, sed ne idem hoc defuncto fieret, lex §. proximo memorata cavit.

(*) Heidenft. p. 28.

(**) Heidenft. p. 78. 81. 84. 86. 91. 92.

(***) In censura Candidatorum fceptri Polonici.

(****) In Bibl. Pol. T. I. p. 421. f.

(†) Zal. Epist. T. I. p. 488.

§. XXVI.

Et sunt quae civis electioni obftent. Primum difficile est, Regem colere & revereri, qui modo inter aequales & familiares fuit. Deinde diftrahit animos aemulatio & invidia, ubi Regis cognati, praelati aliis, dignitatibus & poffeffionibus exornantur. Denique cum Regii reditus fufiinendae maiestati non fufficiant, amplius exigitur quam privati patrimonium, unde, quod ex publico defit, fuppleri poffit. Habent adhuc locum, rationes quibus contra civem Archiepifcopus Gnesnenfis, Uchanius, in electione Stephani ufus (*), & quas hiftoria fuperiorum temporum confirmat.

(*) Heidenft. p. 78.

§. XXVII.

Exteri ergo, qui nomen inter candidatos profiteri volunt, opibus praefent necesse est, ne
in

in regio fastigio egeant, & facultate obligandi alios destituantur. Transeo vetustiora tempora, quibus Ludovicus ob Hungariam, & Jagello propter Litvaniam Poloniae iungendam, perplacere. Henricum Andegavensem, amplae in Gallia possessiones, succedendi in hoc Regnum spes, & quadringenta quinquaginta florenorum millia quovis anno in Poloniam importanda, commendabant. Stephano praecipuum momentum Transilvania afferebat, unde miles & pecunia exspectabantur: & qui eodem tempore Maximilianum Caesarem, Regem suum volebant, non modice sollicitabantur, quod tot Regnorum & Principatuum Dominus esset. In electione Sigismundi III. non postremum erat argumentum, quod Sueciae haeres, duobus regnis aliquando imperaturus. Fridericus Augustus Saxoniae Princeps Elector, praelatus aliis recte, quod plus in regnum conferre quam ex illo recipere posset: cuius merita non minus de omni Republica, quam beneficia erga privatos, in FILIVM transtulerunt Regnum, de quo eadem fiducia, quae bonos cives tantum abest ut destituerit, ut potius omnium expectationem, quae tamen magna erat, longe vicerit.

§. XXVIII.

Ne autem ex candidatis alius eligatur, nisi Romanocatholicus, leges sanciant. Iam a. 1589. bulla Sixti V. Papae interdixit, alium recipere Regem, quam vere catholicum, & ab

H 3

Archi-

Archiepiscopo Gnesnensi renuntiari, qui sit religionis dubiae & non manifeste catholicus (*). Cum eodem anno in comitiis, de modo electionis regiae omni tempore servando, frustra ageretur, volebat Archiepiscopus Gnesnensis legem de Rege, qui catholicae Romanae religionis esset, creando; sed visum supremo Regni Cancellario Zamoscio, sufficere, si saltem catholicus scriberetur, cum per catholicum, qui Romanae religionis, intelligatur (**). Post annos octoginta in *exorbitantiis* sub electione Michaelis, primo loco positum, ne alius quam Romanae orthodoxae religionis catholicae Rex eligatur (***) : quod Regis illius pactis conventis insertum, & in sequentium Regum repetitum (****). Transiit illa lex in confederationem generalem a. 1696. ut futurus Rex sit verus catholicus Romanus (†) praecipientem: quam cum nonnulli in proximo interregno dilatare vellent, ut Rex patre & matre orthodoxae religionis natus esset; non probavit novitatem Respublica, religionem Regis silentio transiens, cui priores leges iam satis prospexissent. Quamvis ergo lex de Rege Romanocatholico eligendo recentior, utilis tamen, qui pro lege non scripta habendus, fuit perpetuus, ut non alius nisi talis electus sit. Fuit quidem rumor post Sigismundum Augustum; acsi quidam per tumultum, Stanislaum Safraniecium Castellanicum Biencensem, ex praecipuis Lutheranis unum, regno praeficere

ficere vellet, sed plane rumor fuit, certo auctore destitutus (†). Quam auxilii aliqui de Stephani iam electi religione fuerint, & quomodo scrupulum omnem ipse exemerit, alio loco memoravimus (†**). Sigismundum pater, Joannes, Sveciae Rex, in spem regni Poloni, catholicum educari voluit, & qui post Sigismundum Reges creati, non aliam nisi illam religionem profitebantur. Hinc contra Moscorum Principem, quoties in numero candidatorum habebatur, praeter alia, & religionis diversitas allegata fuit. Cum post Michaelem, Rex Daniae pro fratre Georgio regnari peteret, erat inter rationes quibus commendabatur, ipsum a catholica religione non abhorrere, eamque quo minus amplecteretur non reculaturum, cum & Romae summo Pontifici reverentiam exhibuisset (†***). In eodem interregno, Carolo Aemilio Electoris Brandenburgici filio, aliena quae colebat, sacra obfuerunt, non admissio temperamento, quod Episcopus Cracoviensis & Procancellarius suggerebant, quodque alibi (†****) fidem Pufendorfii secuti, exposuimus. Mortuo Joanne III. in Fridericum Augustum, Saxoniae Electorem, Lutheranum olim, tum demum suffragia conferebantur, cum quod catholicus certe constaret: qui etiam in pactis suis conventis (†) promisit, se in hac religione omni vita perstiturum, fecus electionem suam irritam velle.

- (*) Apud Zalesz. iur. Reg. Pol. Tom. I. p. 552.
 (***) Heidenst. p. 285.
 (****) Parzad. Elek. a. 1669. tit. Exorbitancye §. Rex Catholicus.
 (****) §. Lubo dawne. In pactis Augusti II. §. I.
 (†) §. Pro fundamento.
 (†*) Heidenst. p. 28.
 (†**) In commentar. ad pacta conventa Augusti III. p. 7.
 (†***) Pufend. de reb. Frid. Vilh. lib. XII. §. 73.
 (†****) In comment. ad P. C. Augusti III. p. 8.
 (‡) §. I.

§. XXIX.

Omnes autem candidati campo abesse iubentur. Sub electionem Henrici monuit Zamoiscius, ut indigenae qui vellent sui rationem haberi, ad modum legatorum exterorum Principum secederent, quo liberius censerii posset; idque ab omnibus comprobatum fuit (*). Hinc aegre tulerunt Ordines, cum Regius Princeps idemque regni candidatus, Vladislaus, a. 1632. electionis comitiis modo inchoatis Varfaviam veniret (**); & ne idem in posterum fieret, primis post inaugurationem illius comitiis lege sancitum, ut candidatus regni a loco & confessu electionis absit (***). Ioannes Casimirus, ne post abdicationem sua praesentia libertati suffragiorum in electione officeret,

ret, promisit se longius a campo futurum (****), qui etiam ante comitia, ex Polonia proficiscebatur. Nec Michaelis & Ioannis exempla obstant, qui ambo praesentes electi, quorum tamen neuter se candidatum tulerat, sed ille casu, & praeter omnem expectationem, imo invitus; hic a regno non alienus, occultis amicorum studiis, dum palam contradicit & Condeum Principem suo suffragio praefert, in regium fastigium evehebantur.

(*) Heident. p. 28.

(**) Piasc. p. 448.

(***) Constit. s. 1633. p. 13. tit. Candidatus.

(****) Uchwała Seymu s. 1668. p. 4.

§. XXX.

Cum ergo candidati ipsi praesentes regnum petere nequeunt, necesse est, ut id, sive extranei, sive indigenae sint, per legatos fiat: qui mos a morte Sigismundi Augusti in singulis interregnis obtinuit. Si candidati sunt indigenae, oratores ex civibus leguntur. Vladislavus Sigismundi III. filius, ad Ordinum confessum duos Senatores & quosdam ex nobilitate misit, quibus ut augustior esset legatio, quatuor Vladislavi fratres se iunxerant (*). Nomine Ioannis Casimiri, praeter nobiles, tres Senatores, ac pro fratre Carolo Ferdinando, quatuor Senatores & nobiles nonnulli aderant (**). Neominus ab exterorum Principum legatis indige-

nae commendari solent: quod officium Vladislao, Papa & Caesar (**); Ioanni Casimiro, Caesar, Rex Galliae, Regina Sueciae, & Elector Brandenburgicus (***), praestiterunt. Pro Iacobo, Ioannis III. filio natu maximo, solus Caesaris orator verba fecit (†), cum ipse misisset neminem. Id singulare quod ante electionem Stephani a nobilitate duo indigenae Senatui commendati, quorum neuter regnum voluit (†*).

(*) Piasec. p. 450. Histor. nost. Pruss. T. VI. p. 15.

(**) Kochov. Annal. Clim. I. p. 73. 75. Histor. nost. Pruss. T. VII. p. 31. 32.

(***) Piasec. p. 451. 452.

(****) Histor. nost. Pol. p. 169.

(†) Żal. Epist. T. II. p. 347.

(†*) Heidentst. p. 91. Biels. Chr. p. 724.

§. XXXI.

Quod ad legatos externos, non licebat iis electionis tempore Varaviae degere, multo minus in campo versari, sed solebant ipsis in oppidis & pagis vicinis hospitia assignari, additis etiam ex nobilitate custodibus, qui observarent, ne commercium cum iis, qui in campo, foverent, aut aliquid, quod liberae electioni officeret, molirentur. In comitiis electionis post Sigismundum Augustum, oratores

res Principum, perorata legatione, ex Senatus consulto in loca sibi assignata, Nuntius Papae, cuius praesentiam ferre multi nolebant, ante Senatus decretum sponte Squernevicios, secesserunt (*), ut ibidem, donec peracta electio, manerent. Antequam Vladislaus IV. eligeretur, Caesaris & Regis Sueciae legati, in villis circa vicum Volam finem comitiorum expectare rogati. Caesaris tamen oratori, post paucos dies fuit concessum, ut ad palatium regium suburbanum Iazdovum transfiret (**). Morem antiquum, *Confoederatio* a 1668. (***) Primati commendat, & a 1674. (****) repetit, anni vero 1696. (†) exigit, ut oratores exteri se ad priores *confoederationes* componant. Ultimi interregni foedus voluit, ut legati duabus ante electionis comitia hebdomadibus Varsavia discederent, & supremus Regni Mareschalcus illos moneret, quo tum novi tum antiquorum scitorum rationem haberent (†*). Idem foedus (†**) nobilibus Polonis, qui sua ministeria legatis addixerunt, iniungit, ut ex eorum familia exeant, ni iure suffragii in electione carere velint. Constat tamen, iam interregnis aliquot, legatos exterorum Principum per omne electionis tempus, Varsaviae & in suburbiis mansisse.

(*) Gratiani vita Commendonii lib. IV. c. 11.

(**) Piassec. p. 452.

(***) §. A iż supponimus.

(****) §.

(****) §. A. iz supponimus.

(†) §. Mieysce Elekcyey.

(†*) §. O oddalentu śię.

(†**) §. modo citato.

§. XXXII.

Dies & hora quibus audiendi legati, ab Ordinibus constituuntur, quod cum a solo Senatu olim factum videatur (*), iam nobilitatis nuntiorum consensum requirit. Ante Michaelis electionem, nuntiis rogatis, num audiendus Papae orator, hora secunda post meridiem sequentis diei placuit, nec minus ad eos de tempore caeteris legatis dando relatum (**). Cum sub Augusti II. electionem, consensus esset, ut certo die Nuntius Papae admitteretur, maioris Poloniae nobiles adiecerunt conditionem, ut prius controversia de iure patronatus regio componeretur (***). Inter legatos certus ordo servatur, fitque initium a Papae Nuntio, quem Caesaris, hunc Regis Galliae legatus excipit, cui iam Imperii Russici orator vix cederet. In electione Henrici, noluit legatus Hispanus audiri, quod Gallici sibi praelati (****). Hinc eodem tempore, post Gallos admissus Suecus, cuius Regis legati in electione Sigismundi III. aegre tulerunt, contradictione etiam Principis sui dignitatem tuentes, cum postridie quam Moscicus audiri (†). A. 1632. ob tardiores legati Caesarei adventum, Suecicis, antequam Caesa-

Caesareo poterat, tempus constitutum fuit, qui tamen superveniens, eodem sibi adeundi Ordines die copiam fieri petebat, qui Suecicis datus, ut hi vel praeferri Caesareo, vel in alium diem reiici deberent, cum eodem audiri nequirent, neutrum autem sine aliqua iniuria fieri posse Ordinibus videretur. Sed opportunè alter legatorum Suecicorum pedum dolore corripiebatur, ut diem sibi prorogari ultro rogarent, & Caesareus citra illorum iniuriam, tempore quod illis iam datum, audiri potuerit (*). Post Regios, aliorum Principum oratores admittuntur, servatusque sub Michaelis electionem ordo, ut Brandenburgici Electoris, Palatini Neoburgici, & frustra expectato Lotharingo, Ducis Curlandiae, Hani Tattarorum, post hos Ducis Lotharingi legati audirentur (**). Licet tamen legatis, quibus iam dies datus, abesse. Ante memoratam modo Michaelis electionem, Ordines legatum Gallicum, qui eos per indignationem, quod Condeus candidatorum numero exemptus, adire noluit, bis nequicquam opperiebantur, & primum valetudine, deinde quod Reipublicae favore carere posset, excusabatur. Eodem tempore orator Suecus salutare Ordines noluit, quod quibusdam destitueretur, quae sibi a Rege suo expectanda essent, inde prorogato tempore, ultimo loco post Lotharingum auditus (***). Nec minus concessum, legato morbo impedito, per litteras cum

cum Ordinibus agere, quod ante Stephani electionem accidit, cuius legatorum alter *Georg. Blandrata* cum in via aeger detineretur, alter *Martinus Berzevicius*, quae sibi a Principe suo mandata, in Senatum misit (†****). Neque hoc omittendum, in Sigismundi III. electione, Caesaris, Regis Hispaniae, & Austriacorum Archiducum oratores, qui eadem ex causa venerant, una fuisse admissos, horumque nomine Episcopum Olomucensem verba fecisse (‡).

(*) Heidenst. p. 24. 74. 256.

(**) Zavadz. Hist. arc. p. 8. 13. 16.

(***) Zalusc. Epist. T. II. p. 339. 343.

(****) Heidenst. p. 26.

(†) Heidenst. p. 256.

(†*) Piascc. p. 452.

(†**) Zavadz. p. 17 — 20.

(†***) Zavadz. p. 15. 17. Zal. Epist. T. I. p. 122.

(†****) Heidenst. p. 75.

(‡) Heidenst. p. 256.

§. XXXIII.

Tempus, quo audiendi, legatis indicatur, & ipsi in confessum Ordinum invitantur. Cum ante Stephani electionem, nobilitas aliquot ex suo numero, minori Moscorum legato, *Goniec* vulgo dicto, qui ipsum adducerent, obviam

obviam misisset; arguit nobilitatem Senatus, quod honor novus, nec ullius Christiani Principis legato habitus esset (*). Sed non meminerat Senatus, interregno post Sigismundum Augustum, tres Episcopos, tres Senatores *saeculares*, & praecipuos ex nobilitate, Papae nuntium ex suis aedibus in campum deduxisse, idemque officium Caesaris oratoribus, a Palatino Lublinensi, & Castellano Gedanensi (**), praestitum fuisse: quod reliquorum Principum legatis, aut ab iisdem Senatoribus, aut ab aliis, procul dubio contigisse videtur. Legati Vladislai, inter quos primi ipsius candidati fratres erant, quique auditi ante alios, ex Senatu Episcopum Cuiaviensem deductorem habuerunt, cui proceres, honoris causa, milites suos stipatores addiderant (***)). Ante electionem Michaelis, duo Episcopi, sex Palatini, totidem ex nobilitate, qui Papae Nuntium adducerent; ac ex eadem causa, Senatorii non minus quam equestris ordinis ad Caesaris legatum missi, inter quos tamen nullus fuit Episcopus (****), qui solum Nuntium Papae adire solent, datumque id fratribus Vladislai, cum ad eius legatos Cuiaviensis Praesul se conferret. Brandenburgici legati qui in electione Michaelis post Caesaris oratorem auditi, eodem modo admissi (+). Cum Augustus II. eligendus esset, Nuntius Papae, Episcopos Plocensem & Kioviensem, ac Palatinum Polocensem, & tres equestris ordinis dedu-

deductores habuit, ut ex singulis gentibus singuli Senatores & nobiles essent (†*). Haec deductionum exempla historia memorat, ex quibus conficitur, non solos aut cum suis tantum, legatos Ordines accedere, sed adesse illis Reipublicae nomine, qui comitentur.

(*) Heidentf. p. 76.

(**) Gratiani vita Commendonii IV. 10. 11.

(***) Piafec. p. 450.

(****) Zavadz. p. 8. 14. Zalusc. Epist. T. I. p. 119. 120.

(†) Pufend. de reb. Frid. Vilh. L. X. §. 87.

(†*) Zalusc. Epist. T. II. p. 344.

§. XXXIV.

Legati intra comitium, ubi Ordines consultant, audiuntur, quo rheda vecti dum Varsovia tendunt, frequens nobilitas armata sub vexillis ad viae utrumque latus consistit, ut in electione Michaelis, sub duodesexaginta signis ultra duodecim millia Papae Nuntio, & major numerus sub octoginta octo vexillis, Caesaris legato hunc honorem habuisse dicantur: Nuntium etiam centum & viginti rhedae antecederent (*). Pro vallo comitii, procerum milites, armis, vexillis expansis, concinentibus signis, advenientes venerantur, & ingressos Marschalci regni & Litvaniae excipiunt (**). Cum a. 1632. Vladislai regni candidati fratres, legati

ti accederent, Primas cum universo Senatu, ad portam comitii occurrit (**), & in electione Augusti II. Nuntius Papae, praeter Mareschalcos, a duobus Episcopis salutatus (****): qui ante Henrici electionem, solos Mareschalcos obvios habuit (†). Eidem Nuntio, consurgente toto Senatu, Primas passus aliquot occurrit, deducitque in locum, quem inter ipsum & Archiepiscopum Leopoliensem, aut hoc absente, proximum dignitate Episcopum habet (†*). A. 1632. fratres Vladislai, ad laevam Primatis, pone eius sellam, reliqui legati qui cum illis venerant, inter supremos Mareschalcos Regni & Litvaniae sedebant (†**): quem inter Mareschalcos locum, praeter Papae Nuntium, qui, ut dictum, prope Interregem sedet, exterorum Principum oratores occupant (†***): ut faciem Primatis adversam habeant.

(*) Zavadz. p. 8. 14. Zal. Ep. T. I. p. 119.

(**) Zavadz. p. 8. Zal. Ep. T. I. p. 119. T. II. p. 347.

(***) Piafec. p. 450.

(****) Zal. Ep. T. II. p. 344.

(†) Gratiani vita Commend. IV. 10.

(†*) Gratiani l. c. Zavadz. p. 9. Zal. Ep. T. I. p. 119. T. II. p. 344.

(†**) Piafec. p. 450.

(†^{***}) Zavadz. p. 18. Zal. Ep. T. I. p. 121. Piafec.
p. 450.

§. XXXV.

Audiuntur legati coram Ordinibus sub dio, quod olim secus erat, cum sibi mandata, illo loco quo Senatus habebatur, adstantibus nobilitatis nuntiis perorarent; quod ex iis patet, quae de Henrici, Stephani & Sigismundi III. electione perscripta sunt (*). Sub Vladislai IV. electionem, primum Senatores ex suo aedificio ad audiendos Principum oratores in apertum se contulisse, & in formam circuli consedisse, nobilibus circumfusis, memorantur (**); qui mos durat, sedetque in humiliori sella ante supremos Regni & Litvaniae, nuntiorum Mareschalcus, ut in aliis comitiis. Sub electionem Augusti II. umbraculum adversus solis radios Primatei erat positum, quod minime tulit nobilitas, ut etiam Iablonovius Lomfensis pocillator, legati Caesarei sermonem interpeliaret, neque desisteret, quam amotum esset, quod civium aequalitatem offendere videbatur (***) .

(*) Heidenst. p. 24. 27. 75. 76. 156. Gratiani vit. Commend. IV. 10. 11.

(**) Piafec. p. 450. Zavadz. p. 8. 12. Zal. Ep. T. I. p. 119. T. II. p. 344.

(***) Zal. Ep. T. II. p. 347.

§. XXXVI

§. XXXVI.

Legati admissi exhibent litteras fidei, hodie duas, Senatorio alteras, alteras equestri ordini, cum olim unae suffecerint (*), & duarum prima mentio in electione Michaelis fiat (**). Litteras ad Senatum, magnus Regni Secretarius, aut Referendariorum alter, ad nobilitatem, Mareschalcus nuntiorum recipit, & qui receperunt alta voce legunt (***) : factumque reverentia in Papam, ut eius litteras Mareschalcus, in comitiis electionis Michaelis, nudato capite recitaret (****). In iisdem comitiis, Caesaris legatus, monitus privatim a Primate, publice litteras non reddidit, quia *Serenissimae* titulus, Reipublicae haud adscriptus erat (†), quod vocabulum Ordines, quasi Reipublicae deberetur, tum primum deposcebant. Ipsi in electione Henrici, suum regnum *inclytum* nominaverant. Interregnis post Henricum & Stephanum, titulus *Serenissimae* Reipublicae non occurrit, neque aegre ferebant Ordines, cum Regis Sveciae legati, defuncto Stephano Sigismundum commendantes, Rempublicam, nullo honoris causa addito nomine, appellarent. Eodem modo vocavit Rempublicam Ioannes Casimirus, Sigismundi III. filius, cum post patrem, Vladislaum fratrem Ordinibus in Regem commendaret, & Primas in sua responsione Rempublicam, sine ullo in honorem eius verbo dixit, cum Vladislaum & fratres *Serenissimorum* ho-

nore dignaretur (†). Electoris Brandenburgici orator, primus, quantum scio, in electione Ioannis Casimiri, Rempublicam nominavit Serenissimam (†**), cuius exemplum contra alios minus servire poterat, quod Elector ob Prussiam regni cliens, Reipublicae maiorem cultum debebat. Externi tamen Principes, qui ad Michaelis electionem legatos miserant, in suis litteris Rempublicam, Serenissimae cognomento colebant (†***). Primatem aliquantum tamen offendit, quod a Duce Lotharingiae inter titulos sui mentio facta non esset (†****). Ipse Caesaris legatus in oratione sua non omisit, Rempublicam Serenissimam dicere (†). Nihilominus tempore electionis Augusti II. litteris Caesaris, inclytæ Reipublicae titulus inscriptus erat, quam ob rem nuntii intercesserunt, quo minus legerentur, postulatumque a legato, ut, si audiri vellet, Rempublicam Serenissimam in sua oratione vocaret. Allegabat legatus antiquum eumque perpetuum morem, quo inclytæ vocabulum obtinisset: cui respondebatur, Rempublicam suo titulo sponte carere voluisse, quia, ut scripto promiserat, Regem ex Austriaca domo non elegisset, sed reddito ob liberatam Viennam hoc scripto, ad usum veteris tituli rediisse (†*). Quae ratio vix illis sufficiet, qui in actis superiorum temporum veterem illum titulum frustra quaesiverunt, visus tamen in ea acquiescere Caesaris

ris legatus, & in oratione sua Rempublicam
saepius Serenissimam appellavit (†**). Per-
placet ergo si praemissis solitis titulis, *Primas
Senatores, & ordo equestris Serenissimae Rei-
publicae* nominantur.

(*) Gratiani vita Commend. IV. 10. Vol. Const.
P. 249. Pias. p. 452.

(**) Zavadz. p. 9. 20. Zal. Epist. T. I. p. 119. 122.

(***) Zavadz. p. 9. 20. Zal. Ep. T. I. p. 119. 122.
T. II. p. 344. 347.

(****) Zavadz. p. 9. Zal. Ep. T. I. p. 119.

(†) Zavadz. p. 14. Zal. Ep. T. I. 121.

(††) Comment. nost. ad pacta conv. Augusti III.
P. 113. Piasec. Chron. p. 451.

(†††) Pufend. de reb. Frid. Vilh. L. III. §. 27.

(††††) Zavadz. p. 18. Zal. Ep. T. I. p. 121.

(†††††) Zavadz. p. 20. Zal. Ep. T. I. p. 122.

(‡) Zavadz. p. 14. Zal. Ep. T. I. p. 121.

(‡†) Zal. Ep. T. II. p. 347.

(‡††) Zal. Ep. T. II. p. 347.

§. XXXVII.

Lectis fidei litteris, legati recto capite se-
dentes, ad Senatores simul & nobilitatis nun-
tios, qui eodem modo assident, verba faci-
unt, candidatum cuius caussa missi, prolixè
commendantes, demonstratis quae ab illo ex-
spectan-

spectanda commodis. Papa ne ulli officere videatur, plerumque generatim Principem Romanum catholicum commendare solet, anno tamen 1632. publice Sigismundi III. filium natu maximum Vladislaum, aliis praeferebat (*): & post Vladislai IV. mortem, auctor erat, ut alter eius fratrum Rex crearetur (**). Legati latina utuntur lingua, quae iuxta patriam, in Polonia publica est, qua per leges (***) cum exteris agendum. In electione Henrici, Caesaris legatus *Rosenbergius*, qui ipse Bohemus, bohemicè locutus (****), gratum fore credens, si lingua, quae Polonae per eandem matrem soror, uteretur. Cum Vladislaus Sigismundi III. filius regnum peteret, frater eius Ioannes Casimirus orationem pro eo polonice coepit, quam Episcopus Premisliensis eadem lingua continuavit & finivit (†). Solent legati sibi mandata aut memoriter dicere, aut legere, posteriusque apud Caesaris oratores usu obtinere fertur (†*). Audiuntur ab Ordinibus silentio, quale in tanta corona esse potest. Cum ante electionem Henrici, Papae Nuntius, pro sua religione, & describendo qualis creandus esset Princeps, nimius videretur, ipsum Sendomiriensis Palatinus interpellavit, meminerit legatum non consiliarium venisse, monens. Quod adeo commovit Romanocatholicos, ut quidam manum capulo acinacis admoverent, mutuaeque caedes metuerentur: sed moderatione Nuntii rediit silentium & tranquillitas

tas (†**). Interpellatum ab uno ex nobilitate, sed alterius de causa, Caesaris oratorem, sub electionem Augusti II. §. XXXV. dictum. In comitiis electionis Stephani, Ducis Ferrariensis legatus, suam legationem scriptam exhibuit, quae statim publice lecta (†***). A. 1697. Caesaris orator, sermone suo finito, in eodem confessu condiciones, quibus pro Iacobo, Ioannis III. filio, regnum ambiit, typis expressas distribui curavit (†****). Quod ante Ioannis III. electionem, eorum candidatorum nomine, qui publice regnum petebant, fiebat, & in electione Augusti II. pariter ab illis legatis, qui non auditi (†): inter quos legatus Electoris Saxoniae, sui Principis condiciones calamo scriptas exhibebat, conducta iam ab aliis typographi opera, cui non vacabat condiciones Saxonicas imprimere (†*). Sub electione enim Augusti II. praeter Papae Nuntium & Caesaris oratorem, reliqui legati non admissi, quod Primas temporis angustiis excusabat (†**).

(*) Piafec. p. 451.

(**) Pastor. Histor. plen. p. 211. Hist. nost. Pruss. T. VII. p. 32.

(***) Comment. nost. ad P. C. Augusti III. p. 37
38.

(****) Heidenst. p. 25.

(†) Piafec. p. 451.

(†*) Zal. Epist. T. II. p. 347.

- (†^{**}) Gratiani vita Commend. IV. 10. Heidenst. P. 24.
- (†^{***}) Heidenst. p. 75.
- (†^{****}) Zal, Epist. T. II. p. 347. 349. f.
- (†) Zal, Epist. T. I. p. 586. f. T. II. p. 354. f.
- (†^{*}) Lunig, Theatr. cerem. T. II. p. 33.
- (†^{**}) Zal, Epist. T. II. p. 364.

§. XXXVIII.

Finito sermone, Primas & Mareschalcus huntiorum respondent latine ac breviter, ita quidem, ut omnia liberae electioni & publicae saluti integra servent. Olim solus Primas Ordinum nomine respondit, sed in electione Vladislai IV. primum Mareschalcus pro nobilitate seorsum verba fecisse legitur (*); quod exemplum in consuetudinem transit. Vtroque responso accepto, legati surgunt, & ad Primatem, qui illis obviam fit, accedunt. Eodem tempore quo legati, simul totus Senatus confurgit, & post mutuas salutationes, legati iisdem comitibus quibus venerunt, discedunt; neque enim obtinet, quod sub electionem Henrici Papae Nuntio contigit, quem omnes fere Senatores ad rhedam usque deduxerunt (**). Principibus Regiis id datum, cum a. 1632. ad reducendos ex comitio Vladislai legatos, totus Senatus consurgeret (**).

(*) Piascc. p. 451. 452.

(**) Gratiani vita Commend. IV. 11.

(***) Piascc. p. 451.

§. XXXIX.

Non tantum missis legatis, sed etiam per litteras de candidatis externi Principes agunt, quae publice in Ordinum confessu recitantur. Hoc modo a. 1573. Turcicus Imperator Galum, & iuxta hunc indigenam; Rufforum Tzarus se ipsum (*); anno autem 1669. magnae Britanniae Rex, Principem Palatinum Neoburgicum commendavit (**). Neque omitendum, praeter eos, qui ob candidatos, etiam ex aliis causis legatos ad electionis comitia venire: quod exempla Ducum Prussiae & Curlandiae, Hani Tattarorum, ac aliorum probant. In electione Vladislai IV. Prussiae & Curlandiae Ducum legati non ab utroque Ordine simul, sed seorsum a Senatorio & equestri auditi (**); in sequentibus tamen interregnis, ad modum aliorum una Senatuum & nobilitatem adierunt. Sub electionem Michaelis, in hoc minor honos Ducis Curlandiae, quam aliorum Principum oratoribus habitus, quod non a Regni & Litvaniae, sed a nobilitatis Mareschalco excepti, & non medii inter supremos Mareschalcos Regni & Litvaniae, sed extra circulum Senatorum, ubi Palatinatum Prussiae locus, confederunt (****). Ibidem illo tempore, Tattarico legato stratus humili
 15 erat

erat tapes, pro quo, Regis absentiam caussatus, fellam postulavit & obtinuit (†).

(*) Heident. p. 27. 28.

(**) Zavadz. p. 20.

(***) Pjafec. p. 453.

(****) Zavadz. p. 18. Zak. T. I. p. 121.

(†) Zavadz. p. 19. Zak. T. I. 121.

§. XL.

Iam Ordinam est, ex commendatis sibi candidatis dignissimum eligere. Post Sigismundi Augusti mortem, dati indigenae seu Piaso, Regi Sueciae, Archiduci Austriae, & Duci Andegavensi, ex Senatu singulis sui laudatores, quorum quique suum candidatum celebrarent & quae ex eo commoda demonstrarent, ut pensitatis rationibus facilius procederet electio (*). In sequentibus interregnis non publica auctoritate lecti, qui candidatorum causam agerent, sed privatim navata opera, & summa cura suffragatores conquistati, cum quisque pro illo, cui ipse studebat, niteretur. In quo tamen ut solius Reipublicae habeatur ratio, leges praecipunt, pecunia, donis, promissionibus, a candidatis induci, aut factiones pro illis fieri vetantes, poena, qualis in publicos hostes, constituta (**). Hinc a Michaelae novi Reges in suis pactis conventis, se obstringunt, non praestare, si quid privatis pro adjuvanda electione promiserint (***) . Multo minus

minus vi Reipublicae Principem imponere licet, ut adversus tales veluti communes hostes, civium arma iungi debeant (****).

(*) Heidenst. p. 28. 29. Gratiani vita Compend. IV. II.

(**) Konfeder. a. 1573. §. Naprzod. a. 1587. §. My Rady. a. 1632. §. A między. a. 1648. §. Naprzod. §. A Ktoby. a. 1668. & a. 1674. §. Naprod. a. 1696. §. Pro fundamento. a. 1733. §. A iako zawsze.

(***) Paśta conventa Michaelis, Ioannis III. Augusti II. Augusti III. §. Zeby iustitia.

(****) Konfeder. a. 1668. 1674. 1696. 1733. §. Warujemy y to sobie.

§. XLI.

Inter Regem Franciae & Austriacam domum vetus est aemulatio, & invicem laboratur, ne qui alteri addictior, Rex creetur. Singulare erat, cum Ioannes Casimirus a Caesare & Rege Franciae commendaretur. Caesar quidem pro necessitudine, cum patruelis esset, Rex, quod sciebat, Ioannem Casimirum Vladislai IV. viduam ducturum, natam in Gallia, suisque popularibus ac Regi amicissimam. Nostra aetas acerrimum vidit bellum, quod Poloniam, Germaniam, Italiam graviter afflixit, quia Augustus III. Caesari coniunctior, Regis Franciae socero praeferebatur.

§. XLII.

Quando dies, quo electio peragenda, venit, Senatores & nuntii in comitio adfunt, nobilitas in aperto campo per Palatinatus divisa, in equis tempus suffragiorum praestolatur. Congregatos in comitio Ordines Primas alloquitur, & memoratis candidatis, hortatur ut electionem conficiant, quae ut regno salutaris eveniat, in genibus praecinit hymnum, *veni creator Spiritus*, omnibus eodem corporis habitu concinentibus. Post hymnum surgens, signo crucis & precatone, qua sacrosanctae *Trinitati* commendantur, Senatores & nuntios, quosque ad suos Palatinatus dimittit. Ipse cum Marschaleo nuntiorum in comitio successum suffragationis expectat (*). Quod de Primate memoravimus, in electione Michaelis, Episcopus Posnaniensis praestitit. Cum enim longiorem moram ferre nollet nobilitas, & Primas cum Episcopis Cracoviensi & Cuiaviensi in urbe abesset, Primas etiam absentiam valetudine excusaret, vices eius Posnaniensis, praefatus absente Primate munus hoc ad maioris Poloniae Episcopos pertinere, suscepit (**). In Ioannis III. electione, mortuo comitiorum tempore Primate, & Episcopo Cuiaviensi Papae litteris in hac dignitate nondum confirmato, placuit Ordinibus, praesente quamvis Posnaniensi, ut Cracoviensis Praesul, Primatis munere fungeretur (***) . Augusti III. electioni, Primate in adversis partibus,

tibus, & Cuiaviensi absente, Posnaniensis Episcopus praefuit. Neque hoc omittendum, nuntios e quorum Palatinatibus & tractibus omnis nobilitas non confluit, sed qui soli ad electionem perficiendam adsunt, e comitio non discedere, sed factis circulis quosque cum suis Senatoribus de creando Rege consilia conferre, aliquos etiam in vacuum tum Senatorum aedificium concedere. Hoc modo in electione Michaelis, Litvani, Palatinatus Belzenfis, Volhiniae, Russiae, Prussiae, consultarunt, Palatinatu Mariaeburgensi ex Prussis, sub tecto Senatorio consistente. (****). Quod ad Prussos speciatim attinet, illi & antea sua suffragia intra comitium conferre consueverant.

(*) Piasec. p. 454. Zal. T. II. p. 364. 365.

(**) Zavadz. p. 32. Zal. T. I. p. 125. 143.

(***) Zal. T. I. p. 556.

(****) Zavadz. p. 33. Zal. T. I. p. 125. 126.

§. XLIII.

In electione Henrici, Stephani & Sigismundi III. (*), Senatores suas de candidatis dixerunt sententias, antequam nobilitas ad suffragia secederet, ut edoceret quinam maxime Reipublicae conveniret. Cum etiam sub Sigismundi III. electionem, prius quam censeret Senatus, Ordines in duas distracti essent partes, ac in duobus locis consultaretur, Senatores

natores qui extra comitium pro Sigismundo censabant, suas sententias illis, qui Maximiliano Austriaco addicti in comitio remanserant, mittebant (**). In electione Vladislai IV. dictae a Senatoribus sententiae, cum a nuntiis nobilitatis suffragia in comitium relata essent (***) . Sed in sequentibus electionibus, Senatus plane non censuit, verum Senatores, quique suis Palatinatibus seorsum candidatos commendarunt. Post Senatorum sententias in Henrici electione, quilibet Palatinatus in suum tentorium concessit, ut ibidem de candidatis decerneret (****). In comitiis electionis Stephani, omnis nobilitas iuncta promiscue censuit, donec in duas partes distraheretur (†). Cum eligendus esset Sigismundus III. nobiles ad Senatorum exemplum discordes, illis iuncti manebant, quibuscum sentiebant (†*). Mos ergo ille, quo nobilitas per Palatinatus, in aperto campo, & in equis suffragia confert, a Vladislai IV. electione repeti debet.

(*) Heidenst. p. 27. 76. 83. 260.

(**) Heidenst. p. 260.

(***) Piafec. p. 454.

(****) Heidenst. p. 24. 27.

(†) Heidenst. p. 83.

(†*) Heidenst. p. 260. 261.

§. XLIV.

In suffragiis ante omnia iurium habenda est ratio, existatque lex iam post Sigismundi Augusti excessum lata, ne in novum Regem sit consensus, nisi hac conditione, ut omnia iura quae ipsi post electionem oblata fuerint, iureiurando firmet (*): quam *confoederationes* interregnorum, ad nostra usque tempora repetunt (**), & ab anno 1668. simul de iuribus per pacta conventa exhibendis loquuntur (***)). Hoc iusiurandum debet ad eam formam praestari, ad quam Henricus & successores fidem suam obstrinxerunt, idque primum *confoederatio* a. 1587. exigit & sequentes probant (****): addito in *confoederatione* a. 1733. *in quantum iura & iusiurandum, sanctae religioni catholicae Romanae non adversentur* (†). Suffragia vero hoc modo expediuntur. Primus in Palatinatu, aut minore tractu qui seorsum censet, Senator, sive Episcopus, sive Palatinus, sive Castellanus is fuerit, commendat candidatum cui ipse favet, aut si nullarum ipse partium vel est, vel videri vult, recenset omnes, nullum sua laude defraudans ac sententias rogat. Vbi displicent, obstrepitur, quando unus placuit, acclamatur, *vivat! placet!* Polonis *zgoda*; neque sclopis brevioribus parcitur, qui strenue displo-duntur. Si placent diversi, diversi clamores, & qui partium auctores, laborant, ut suas firmant & dissentientes sibi iungant. Vbi nulla con-

concordiae spes, solet interdum novus candidatus commendari, ut in electione Michaelis factum. Discordantibus enim tum de Principe Palatino Neoburgico & Lotharingiae Duce, ut nullus esset Palatinatus, qui totus alterutrum vellet, nullaque consensus spe, *Cricius*, Succamerarius Califfiensis, in suo Palatinatu pro Michaele Wiesnovicio, qui inter candidatos non fuit, tanto omnium consensu dixit, ut repente *vivat Michael* acclamaretur, valuitque unius Palatinatus suffragatio, ut reliqui Palatinatus non consilio sed impetu in eandem sententiam ferrentur (†*). Eadem a. 1674. de Palatini Neoburgici filio, & Duce Lotharingico dissensio, quam ob rem cum suffragia conferrentur, Ioannes Sobiescius, Supremus Regni Mareschalcus & exercitus Dux, qui regnum publice haud ambierat, idoneus visus cui illud deferretur (†**). In electione Augusti II. inter ipsum & Principem Contium dissidium ad concordiam deduci posse nonnulli credebant, si tertius interveniret; in quem finem Marchio Badensis commendabatur, sed remedium hoc ad consensum non successit (†***).

(*) Konfed. a. 1573. §. Naprzod.

(**) Konfed. a. 1587. §. My Rady. a. 1632. §. A między temi. a. 1648. §. A Ktoby. a. 1668. §. Naprzod. a. 1674. §. y nie pierwey. a. 1696. §. Pro fundamento. a. 1733. §. iako zawsze.

(***) Konfed. a. 1668. & sequentes §§. citatis.

(****)

(****) Konfed. a. 1587. & fequentes §§. citatis.

(†) §. A iako zawfze.

(†*) Zal. Epift. T. I. p. 144.

(†**) Zal. Epift. T. I. p. 556.

(†***) Zal. Epift. T. II. p. 366.

§. XLV.

Exigunt enim leges ut fuffragia in unum conveniant (*), vetantque affenfum nifi electio unanimis fuerit (**). Vbi omnium confenfus, deferuntur a Senatoribus & nuntiis fingulorum Palatinatum, & eorum tractuum qui feorfum celfent, fuffragia in comitium, cui univerfa nobilitas in equis propius accedens circumfunditur. Suffragia, citato a nuntiorum Mareschalco cuiusvis Palatinatus & minoris tractus nomine, leguntur ab uno nuntiorum (***). Suffragiis recitatis, intra comitium circumequitans Primas ter quaerit adftantes, num omnium in eundem Regem fit confenfus, ac num *exorbitantiis* fatisfactum. Si acclamatur & nemo contradicit, Regem renuntiat, addito pro eius falute & felici regimine voto. Tum monet Mareschalcos Poloniae & Litvaniae, ut renuntiationem repetant, edicitque fupremus Regni Mareschalcus, reliquis comitantibus, ad fingulas comitii portas, Regem omnium fuffragiis electum a Primate declaratum, eundemque pro vero & legitimo Principe habendum effe (****). Vetant autem
K
leges

leges renuntiationem, si contradictio praecesserit, adeo ut hostem patriae iudicent, qui Regem sine omnium Ordinum consensu nominaturus sit (†), & ternam de consensu ac exorbitantiis interrogationem, Primati *confoederatio* a. 1668. iniungit (†*), cuius auctoritatem reliquae sequuntur (†**). Eadem *confoederatio* primum expresse constituit, ut Regnum, Litvania, & iunctae provinciae in Regis electione conspirent (†***), quod posteriores repetunt (†****).

(*) Konfed. a. 1573. §. Naprzod.

(**) Confoederationibus & §§. ad §. XLIV. nota (***) citatis.

(***) Piafec. p. 454. 455. Zavadz. p. 37. Zal. Ep. T. I. p. 145.

(****) Piafec. p. 455. Zavadz. p. 37. Zal. Ep. T. I. p. 145. 558.

(†) Konfed. a. 1587. §. My Rady. & reliquae §§. ad §. XLIV. nota (***) citatis.

(†*) §. Naprzod.

(†**) Konfed. a. 1674. §. y nie pierwey. a. 1696. §. Pro fundamento. a. 1733. §. A iako zawsze.

(†***) §. Waruemy y to sobie.

(†****) Konfed. a. 1674. §. Waruemy y to. a. 1696. §. Waruemy to. a. 1733. §. Waruemy to sobie.

§. XLVI.

§. XLVI.

A. 1573. qui Ducem Andegavensem Regem volebant, armati in comitium venerunt, declaravitque Henricum Regem Primas, cum multi utriusque ordinis non consensissent, imo in alium locum secessissent (*). Tempore electionis Stephani, omnis nobilitas dictis sententiis ad Senatum rediit, & qualem diversi Regem velleat, exposuit. Deinde qui indigenam volebant, seorsum intra comitia consultabant, vocatis ad se, qui idem sentirent, Senatoribus. Adversa pars, quae pro Austriaco nitebatur, post aliquot hebdomadam moram, comitio excessit & Caesarem Maximilianum; Piastani in comitio Annam Reginam & Stephanum Transilvanum, Regem renuntiaverunt (**). Qui a. 1587. Sigismundo Sveciae Principi addicti, extra comitium & electionem & renuntiationem peregerunt, cum nuntiorum Mareschalcus interrogasset, num Sigismundum Regem vellent: in comitio autem, post Sigismundum, Maximilianus Austriacus Rex nominabatur (***). Annis 1697. (****) & 1733. renuntiati a Primate in campo Reges, in quos tantum aberat, ut omnium fuisset consensus, ut potius multi admodum ex Senatu & nobilitate, seorsum confisterent, & plane alium, quàm Primas renuntiabat, Regem vellent; qui etiam antea contradixerant, & quos frustra Primas & qui in eius partibus, sibi iungere laboraverant.

Stephanum olim sine Litvanis & Pruffis, Sigismundum III. sine Litvanis, fuisse electos, & utriusque electionem illi qui non elegerant, ratam habuisse, supra §. XII. exposuimus.

(*) Heidenst. p. 29.

(**) Heidenst. p. 90. 91. 92.

(***) Heidenst. p. 260., 261. 262.

(****) Zal. Epist. T. II. p. 367.

§. XLVII.

Pertinet ad Primatis iura, Regem electum renuntiare, quam ipsi facultatem, interregni quod Sigismundum Augustum excepit tempore, supremus Regni Mareschalcus negabat, sibi eam afferens; sed Ordines Primati vindicabant (*). Secuta bulla Sixti V. Papae a. 1589. quae ius nominandi Regem, Archiepiscopi Gnesnensis esse testatur, & post Regis catholici, servatis Regni statutis & consuetudinibus, renuntiationem ab eo factam, aliam ab aliquo Episcoporum & aliorum Praesulum fieri vetat. (**). Confoederationes ab anno 1668. (***) renuntiationis a Primате peragenda mentionem faciunt, & novissime hoc eius ius constitutio a. 1736. (****) firmavit. Quando vacat Archiepiscopatus Gnesnensis, Cuiaviensis Episcopi est, Regem declarare, cuius locum, si ille non adfuerit, Posnaniensis explet, quod Reges nominandi facultas, post Archiepiscopum Gnesnensem, uni ex maioris Polo-

Poloniae Episcopis servatur; quam Primas Radzejovius a. 1698. odio in Cuiaviensem Praefulem, in Leopoliensem Archiepiscopum transferre, frustra conabatur (†). Ob mortem Primatis & nondum receptas ab Episcopo Cuiaviensi Papae bullas, Episcopus Cracoviensis, Posnaniensi praelatus, Ioannem III. Regem dixit (†*). Quoties autem Primas Regem declaravit, cui magna Ordinum pars contradixit, nominatio eius irrita fuit. Stephanum, in cuius partibus nullus erat Episcopus, Io. Sieninfcus sacri quidem ordinis, sed dignitate minor, & post aliquod tempus Leopoliensis Archiepiscopus (†**); Augustum II. Cuiaviensis; Augustum III. Cuiaviensi absente, Posnaniensis Episcopus Regem renuntiavit. Iisdem temporibus, alii a Primate nominati fuerunt Reges, sed nominatio pro nulla habita, quod non omnibus consentientibus peracta. Neque etiam bulla Sixti V. plane renuntiationem Episcopis interdicit, sed tum demum, si Gnesnensis Archiepiscopus in nominatione Regis, ad statuta & consuetudines Regni se composuerit; a quibus tamen deflectit, quoties Regem sine omnium consensu edicit, quem leges exigunt, & ut de eo plane constet, ter ante nominationem Ordines interrogari, praecipunt: quod §. XLV. docuit.

(*) Heidenst. p. 7. 19. 21.

(**) Zalasov. Ius Regni Pol, T. I. p. 552.

(***) Not. (†) (†**) ad §. XLV.

(****) p. 94. tit. Prerogatywy.

(†) Zal. Epist. T. II. p. 566.

(†) Zal. Epist. T. I. p. 556.

(†**) Bielsc. Chron. p. 724.

§. XLVIII.

Eodem tempore, quo Regis renuntiationem Ordines Primati vindicarunt, simul decreverunt, ut supremus Regni Mareschalcus eam repeteret (*); idque usu servatur, ita quidem, ut absente supremo Mareschalco, vicariam operam praestet, qui ipsi ex Mareschalcis dignitate proximus. Sigismundi III. nominationem supremus Regni Cancellarius Zamoilcius repetiit, quod nullus Mareschalcus praetens, & quidem non ad portas comitii, sed Varlaviae in primaria aede ad maius altare (**); fortasse ex illa causa, quod Ordines a quibus Sigismundus electus, extra comitium confederant. Repetita a Mareschalco renuntiatione, in genibus *Ambrosii* hymnus *Te Deum laudamus*, Primatē ordiente, canitur, post quem tormenta sclopique disploduntur, tubis & tympanis in publica hac laetitia non silentibus.

(*) Heidenst. p. 21.

(**) Heidenst. p. 264.

§. XLIX.

§. XLIX.

Nonnunquam Ordines discedunt, pro uno duobus renunciatis Regibus, ut in electione Stephani, Sigismundi III. Augusti II. & Augusti III. factum. Causa vulgo ex Republica per discordiam scissa petitur, quae tamen scindi haud potest. Est enim Respublica certa quaedam Regni Poloni ad leges constitutio, cuius curam Rex & Ordines, interregni autem tempore, soli Ordines agunt. Haec per alias leges mutari quidem potest, sicut hodie diversa est ac fuit olim, sed non dividi. Ut enim totum in partes secretum, totum esse definit, ita & Respublica Polona non exstaret, si in partes scinderetur. Quare Stephanus, Sigismundus III. Augustus II. Augustus III. a tota Republica electi, hoc est, ab Ordinibus Senatorio & Equestri, qui Rempublicam curabant, quamvis non ab omnibus Senatoribus Equitibusque: eundem in modum quo rata sunt, quae in comitiis sanciantur, licet aliquot Senatores & quorundam Palatinatum tractuumque nuntii non adfuerint. Idem illi, qui in memoratorum Regum electionem non consenserunt, accesserunt postea, quod intelligerent esse legitime & pro Republica electos. Facile autem fieri potest, ut tanta censentium multitudo diversa sentiat, non pravitate & cupiditate aliqua, sed opinione officii, quasi verum Reipublicae commodum procuratur. Hinc errori huic humano, in

regno nostro parata est venia, neque dissensus in electione poena vindicatur, sed licet in viam redire, si discessum, fama, dignitate & facultatibus salvis. Non ergo, ut mihi quidem videtur, Reges interdum scissa Republica, sed scissis Ordinibus electi: quae privati hominis sententia nullam imponit necessitatem, ut omnes idem affirmant. Liberum est aliis statuere, Rempublicam in partes tum fuisse scissam; singulas partes seorsum egisse; singulas sibi consuluisse; partes illas inter se scriptis imo & armis contendisse, & tamen eandem Rempublicam Polonam mansisse, sed disruptam in partes, quarum singulae Rempublicam Polonam continuerint, ut nihilominus una, non duae essent. Quae, quod lubens fateor, capere vix possum. Dissenserunt Ordines, quoties diversi electi Principes, sed leges & quae legibus innititur Reipublicae salus demonstrarunt, uter praefendus esset, quarum auctoritate inter cives concordia rediit, ut mox unum colerent Regem, licet non unum creassent.

§. L.

Declaratum Regem, si praesens, Ordines ex campo in urbem deducunt: qui Michaellem, quod iam vespera, recta in arcem (*); Ioannem III. quia multus adhuc dies, prius in aedem S. Ioannis comitabantur, ibidemque *Ambrosii* hymnus repetitus, & sacra concio

concio habita (**). Michael postero die missae & concioni interfuit, & post meridiem, expectantes ipsum in equis Palatinatus circumequitavit, gratias quod in se contulerint suffragia, humanissime agens (***) : quod renuntiato Augusto II. ab eius legato *Flemingio* factum (****). Rege absente, Ordines adeunt templum Ioanneum, ac *Ambrosii* hymnum repetunt: quod a. 1697. electione discordi, ab utraque parte factum. Solent etiam tum novum Regem Mareschalci praecedere, scipionibus tamen demissis, qui demum post inaugurationem erecti praeferuntur (†). Absentibus, cum primum Michael templum adiret, Mareschalci, Regni Cancellarius scipionem gessit (†*).

(*) Zavadz. p. 38. Zal. Epist. T. I. p. 128.

(**) Zal. Ep. T. I. p. 558.

(***) Zavadz. p. 40. Zal. Ep. T. I. p. 128.

(****) Lunig. Theatr. ceremon. T. II. p. 37.

(†) Piafec. p. 456.

(†*) Zavadz. p. 40. Zal. T. I. p. 128.

§. LI.

Olim ante novi Regis renuntiationem, pacta conventa & scripta & Principis nomine probata fuisse, aliud autem in Michaelis electione placuisse, hocque iam obtinere, §. XXI.

K 5

expo-

exposuimus. Altero enim a Michaelis renuntiatione die, nominati a Primate ad pacta conventa ex singulis gentibus, Episcopus, Palatinus & Castellanus, a Marschalco nuntiorum bini ex singulis Palatinatibus, & ex minoribus terris singuli (*). Quod ad numerum eorum, a quibus pacta scribenda, *confoederatio* a. 1696. (**), illum ad sex Senatores, & quaternos ex gentibus nobiles, redegit, qui praesentibus Regni & Litvaniae Ministris, hoc negotium conficerent. In electione Augusti II. antequam ad suffragia accederetur, Primas in privato confessu, Senatores qui pacta scriberent legit, quibus equestri ordinis Marschalcus nuntios adiecit (***) : at cum horum nonnulli in *Contianis* partibus essent; Augusto II. renuntiato, alii sufficiens erant. Scribuntur pacta in arce Varlavienfi, & electo Michaele nonnulli frustra urgebant, ut id in comitio fieret (****) : quod tamen post electionem Augusti II. factum, ut ex fine pactorum patet, ubi verba *actum & datum in campo electorali inter Varsaviam & pagum Wola* leguntur. Antequam eadem Augusti II. pacta scriberentur, iurarunt quibus id negotium mandatum, conceptis verbis, se integre versaturos, ac ante omnia liberae electionis aliorumque iurium rationem habituros esse (†). Olim, quia cum exteris res erat, latina lingua pacta scribi placebat, in electione Vladislai IV. primum polonice componebantur, quod

quod Princeps indigena obligandus: qui sermo & in posterum mansit, licet post Ioannem III. cum duobus Regibus Germanis pactiones in- undae essent. Continent pacta nonnulla ve- tera iura, quae in praecipuis habentur, qui- bus vel nova, vel ea quibus vetera explanan- tur, tum alia pro temporis ratione, nec mi- nus quae Reipublicae usui, sive illa novus Prin- ceptus ultro obtulerit, sive ex Ordinum senten- tia profecta fuerint, adiiciuntur: neque Re- gis obligatio ad omnia iura servanda, & quid, si secus fiat, leges civibus permittant, omittitur. Cum ergo pacta conventa com- plectantur multa, non potuit aliter fieri, quam ut diffusiora evaderent. Brevia tamen sunt Henrici, Stephani, Sigismundi III; cum Vladislao IV. coeperunt extendi, ut in amplitudinem excreverent. Pleraque etiam in posterioribus repetuntur, quae priora iam ex- hibent, imo pacta Vladislai IV. & Ioannis Ca- simiri sunt plane eadem, paucis tantum in posterioribus omissis, quae locum habere non poterant. Scripta pacta Ordinibus exhibeban- tur, ut ab iis retractarentur probarenturue (†*); quod post electionem Augusti II. & Augusti III. factum non est, sed Ordines illis quibus hoc negotium mandatum erat, etiam ut plane conficerent, iniunxerunt: ex qua causa, Augusti II. pacta exaraturi, iureiu- rando obstringebantur, ne quid contra Regni iura infererent, ut hoc §. paulo ante mentio- nem

nem fecimus. Consentiunt in pacta, electi Regis legati ad comitia missi, & cum Michael ac Ioannes III. regnum per oratores non petissent, ex Senatoribus & nobilibus aliquot nominarunt, qui pactis annuerent. Legatorum nomina pactis praeponuntur, Michaelis exceptis, in quorum fronte ea non legimus. Nomina autem subscribunt, non tantum illi qui pro Republica pacta composuerunt, sed & alii ex utroque Ordine, inde longa nominum series pactis apposita visitur, nominibusque non tamen omnibus, titulus *deputatorum ad pacta conventa* additur. Olim pactis Henrici nemo; Stephani, soli eius legati; & Sigismundi III. praeter oratores, tredecim Senatores & septem nobiles subscripserunt. In calce pactorum Augusti III. post ipsam iurisiurandi formulam, legatorum nomina leguntur, cum Sigismundi III. oratores ante Polonorum sua apposuissent. A Vladislai IV. tempore, pro civitatibus Cracoviensi, Vilenensi, Leopoliensi, Posnaniensi; Michaelis pactis etiam pro Varfaviensi; Augusti III. vero, pro nulla ex his civitatibus, subscriptum. Singulare est, quod qui dictarum civitatum nomine, pactis Augusti II. subscripserunt, se *deputatos ad pacta conventa* nominaverint, qui titulus alias non legitur: neque inde colligendum, acsi civitatibus ea data auctoritas, ut una cum nobilibus ius censendi habuerint, sed vanum videtur nomen, ad solum exemplum nobili-

am.

um adiectum. Vt vero confederationibus generalibus, Senatores & nobiles cum aliqua exceptione subscribunt, ita etiam sub pactis conventis, religionem vel alia salva volunt, cuius rei primum exemplum pacta Sigismundi III. dederunt. Augusti II. & Augusti III. pacta, in fine exhibent mandatum, quo legati omnia ea, quorum causa missi, conficere iuventur: quale in pactis priorum Regum non occurrit. Pacta haec inter leges regni locum obtinent (†**), & Vladislai IV. ac Regum sequentium, scitis comitorum electionis inserta (†***). Augusti II. & Augusti III. propter discordiam Ordinum, scrius inter regni constitutiones recepta (†****), imo Augusti II. iterum inter illas a. 1710. leguntur (†).

(*) Zavadz. p. 43.

(**) §. Upatruiać zśś.

(***) Zal. Epist. T. II. p. 364.

(****) Zavadz. p. 42. 43.

(†) Constit. a. 1699. post quarum initium pacta conventa Augusti II, hisque praemissum iusiurandum.

(†*) Piafec. p. 453. 455. Zavadz. p. 45. f. 407.

(†**) Henrici Vol. Const. p. 224. Stephani p. 251. Sigismundi III. p. 451.

(†***) Vladislai IV. Porz. Elck. a. 1632. p. 10. Ioannis Casimiri a. 1648. p. 14. Michaelis a. 1669. p. 14. Ioannis III. a. 1674. p. 15.

(†****)

(†****) Augusti II. Constit. 1699. p. 3. Augusti III. a. 1736. p. 53.

(‡) Constit. a. 1710. p. 8.

§. LII.

Absentium Regum legati, pro illis in pacta iurant, quod ab Henrici & Stephani in comitio, a Sigismundi III. extra comitium in campo (*), ab Augusti II. & Augusti III. oratoribus, in aede Varsaviensi D. Ioanni sacra, coram praecipuo altari factum. Vladislai IV. & Ioannis Casimiri legati, quamvis ipsi Varsaviae aut prope Varsaviam adessent, pro illis tamen in comitio iusiurandum praestiterunt (**), quod ab iis qui Michaelis & Ioannis III. nomine, pactis scribendis interfuerunt, exactum non est. Causa diversitatis non alia videtur, quam quod in pacta Vladislai IV. & Ioannis Casimiri, ante eorum renuntiationem iurari debuerit, Michaelis vero & Ioannis III. pacta scripta fuerint, cum Reges iam declarati essent. Augusti II. legatum *Flemingium* nonnulli a iureiurando in pacta arcere frustra conati, quod religionis Lutheranae (***) idque veluti illiciti quid, a *Contianis* obiectum (****): sed debuissent meminisse, iurasse olim in pacta Stephani & Sigismundi III. legatos non Romanocatholicos, & multos olim Senatores *Lutheranos* & *Calvinianos*, Regi & Reipublicae, citra controversiam, fidem suam obstrinxisse. Formula iurisiurandi legatorum

rum polonice scripta, primum exhibetur in actis electionis Vladislai IV. & in electione Ioannis Casimiri repetitur (†); a qua diversa est, ad quam Augusti II. & Augusti III. oratores, in *evangelia*, per *Deum & sanctam eius passionem* latine sponderunt, Regem electum pacta rata habiturum, impleturum, & iureiurando confirmaturum: estque haec formula pactis memoratorum Regum in fine annexa. Augusti III. legati post missae sacrum iurarunt, quo facto acclamabat Episcopus Poniñaniensis, *vivat Serenissimus Augustus III. electus Rex Poloniae*, quod tota concio repetebat; idem acclamabat *Poninſcius* foederis pro novo Rege Mareschalcus, & votum iterum a concione repetebatur. Tum hymnus *Te Deum*, & extra templum militum bombardae ter displosae.

(*) Heidenst. p. 29. 92. 263.

(**) Piascc. p. 455. Pastor. Hist. Pol. plen. p. 221.

(***) Lunig. Theatr. cerem. T. II. p. 38.

(****) Zal. Epist. T. II. p. 455.

(†) Porząd. Elek. a. 1632. p. 20. tit. Iurament Postow. Porząd. Elek. a. 1648. p. 24. tit. Iurament Postow.

§. LIII.

Si Reges electi praesentes, statim ipsi in pacta sua ante maius altare in eadem S. Ioannis aede,

aede, post missae sacrum iurant, forma iurisiurandi post electionem Vladislai IV. latine scripta, & pro Ioanne Casimiro, Michaelae, ac Ioanne III. repetita (*), omiſſis in posterioribus, quae priores de Vladislai & Ioannis Casimiri legatis continebant. Iurant Reges flexis genibus ad *evangelia* & per *Deum ac evangelia*, praeiveruntque sacramentum Vladislao IV. Regni & Litvaniae Cancellarii (**); Ioanni Casimiro magnus Regni Cancellarius (***) ; Michaeli Gnesnensis Archiepiscopus (****). Praestito a Vladislao IV. iureiurando, contradixit paci diffidentium Primas, ne Romanocatholicae religioni derogaret, Palatinus vero Belzensis *Raph. Leszczynius*, iura diffidentium tuebatur (†). Michaeli publice obiectum, quod praedicasset se non simpliciter, sed mente restrictiore in pacta iurasse, quod pro eo negabat Procancellarius, licet Primas ad Regis multorumque conscientiam provocasset (†*). Ipsum iusiurandum actis electionis inseritur (†**), habetque eorum adscripta nomina, quibus praesentibus dictum.

(*) Porząd. Elek. a. 1632. p. 20. tit. Iurament Krolá. a. 1648. p. 25. tit. Iurament Krolá. a. 1669. p. 29. tit. Iurament. a. 1674. p. 31. tit. Iurament.

(**) Piaſec. p. 456.

(***) Paſtor. Hiſt. Pol. plen. p. 227.

(****) Zavad. p. 58. Zal. Epiſt. T. I. p. 131.

(†) Piaſec.

(†) Piaſcc. p. 456.

(†*) Zal. Epist. T. I. p. 170. 322. 324.

(†**) Vid. citata loca nota (*).

§. LIV.

Simul ac Rex in pacta iuravit, traditur ipsi electionis decretum latine scriptum, in quo Ordines, tum virtutes novi Principis, tum alia recensent, quibus in ipsum suffragia sua conferre adducti fuerint, fidem, cultum & obsequium promittentes. In fine, Senatorum ac praecipuorum ex nobilitate nomina cum sigillis ponuntur (*). Vladislaus IV. diploma hoc ex Primatis (**); Ioannes Casimirus ex magni Regni Cancellarii (***) ; Ioannis III. ex Episcopi Cracoviensis, qui Primatis munere fungebatur, manibus (****) receperunt. Ante Ioannis III. electionem, Marschalqus nuntiorum iureiurando obstrictus, decretum non tradere, nisi Regi omnium consensu legitime creato, ut supra §. XVII. demonstravimus. Cum Vladislao IV. exhibitum fuisset electionis decretum, Cancellarii versi ad circumstantes, alta voce pronuntiarunt, decretum electionis Regi legitime electo nominatoque fuisse traditum. Tum *Ambrosii* hymnus sequebatur, a Primate cani coeptus (†). Ioannes Casimirus recepto decreto, ad Cancellarii sermonem paucis respondebat, uberius Bogusl. Leszczy-nius, maioris Poloniae generalis praefectus, & ab eius regimine secunda omnia sperare iu-
L
bebat

bebat (†*). Michaeli Senatus nomine Primas, pro equestri ordine, eius Mareschalcus regnum gratulabatur; quibus Rex *Gninscii*, Palatini Culmenfis, ore respondebat: cuius sermone finito Mareschalcus curiae Regni edixit, Polonos iam legitimum Regem habere (†**). Idem *Gninscius*, etiam pro Ioanne III. cum is electionis diploma accepisset, verba fecit, post laudes, regimen eius quam felicissimum auguratus (†***). Cum Ioannes Casimirus regno se abdicaret, receptum olim diploma electionis Ordinibus reddidit (†****), ut iis, ad quae per illud obstricti, plane exsolveret.

(*) Piasec. p. 456. Pastor. Histor. Pol. plen. p. 230.
Zal. Ep. T. I. p. 623.

(**) Piasec. l. c.

(***) Pastor. l. c.

(****) Zal. Epist. T. I. p. 559.

(†) Piasec. l. c.

(†*) Pastor. l. c.

(†**) Zavadz. p. 58, 59.

(†***) Zal. Epist. T. I. p. 619. f.

(†****) Hist. Pruss. T. VII. p. 336.

§. LV.

Rege extraneo declarato, legati ad eum mittuntur, qui in regnum invitent, iusurandum

randum in pacta conventa excipiant, & electionis decretum tradant. Praemissis duobus nobilibus, cum Senatus de peracta electione litteris, iverunt in Galliam ad Henricum, ex utroque ordine & utraque gente Polona & Litvana legati, qui Parisiis publice in templo D. Mariae, iusiurandum ad formulam in comitiis electionis scriptam, Io. Herburto, Sanocensi Castellano, praeunte exceperunt, & in curia Parlamenti, electionis decretum reddiderunt (*). Inter ea iura, quae cum pactis conventis salva futura Henricus promittebat, erant etiam quae *articulorum Henricianorum* vocabulo veniunt (**), in electionis comitiis non tantum Henrico, sed etiam successoribus scripta, quaeque non minus ac pacta conventa, peculiari diplomate firmabat (***). Stephanus profectis ad eum in Transilvaniam legatis, in praecipua aede civitatis Mediae vulgo Medgies, in leges & pacta conventa iuravit, eaque & articulos Henricianos suis litteris probavit (****). Ad Sigismundum III. unus Castellanus Podlachiae, qui illum arcefferet, publice in Sveciam mittebatur, sed multi fuerunt ex utroque ordine lecti, qui transvectum ex paterno regno prope Gedanum exciperent. Coram his in templo monasterii Olivensis, Episcopo Cuiavienfi, qui legationis caput, praeunte, novus Rex in pacta iuravit, memorato Episcopo paci *dissidentium* intercedente, *Przymio*

vero, legatorum equestris ordinis uno, pro illa pace reponente, Rege per suam contradictionem excipiente, quod in pactis de cedenda Estonia promissum. Secutus *Ambrosii* hymnus, post quem, Marschalcis absentibus, Regni Thesaurarius alta voce significavit, Regem regno iurasse, cui tota concio, *Vivat!* acclamavit. Quarto a praestito iureiurando die, Sigismundo III. Gedani in Dominicanorum templo, post missam & sacram concionem, decretum electionis, ad praecipuum altare tradebatur, cum prius Procancellarius orationem ad Regem habuisset, huic Cancellarius Svecus *Sparrius* pro Rege respondisset, ac dein decretum lectum esset. Regi, qui eques ex templo hospitium repetebat, duo minoris cancellariae *secretarii* electionis decretum praeferebant (†). Augusto II. & Augusto III. Tarnemonti, Silesiae prope Poloniae fines oppido, splendida legatione reguum delatum (†*), ibidemque Augustus III. in pacta iuravit (†**), decretum vero electionis, ad Cracoviam in palatio suburbano consistenti, ab Episcopo Posnaniensi & electionis Marschalco oblatum (†***). Augustus II. in viço Picari in Cracoviensi Palatinatu iusiurandum praestitit, cui & ibidem electionis diploma exhibitum (†****). Uterque Rex pro uno duo accepit electionis diplomata. Cum enim Primas & alii qui ab IIS averfi, post inaugurationem EORVM maiestatem revererentur, placuit

cuit ut in memoriam restitutae concordiae, aliud diploma scriberetur, in quo etiam Primatis nomen exstaret. In fronte decreti pro Augusto II. legitur titulus: *Mich. Steph. Radzeiowski Archiepiscopus Gnesnensis - - Senatores, officiales, atque inclytus equestris ordo regni & magni ducatus Litvaniae.* Subscripta sunt nomina Primatis & nuntiorum Mareschalci, addito utriusque sigillo pendente. Ante diploma Augusti III. sunt Primatis & singulorum Senatorii ac equestris ordinis, qui praesentes fuerunt, nomina. Appensa dicuntur sigilla Primatis, Senatorum, Mareschalci, delegatorum Ministrorum utriusque gentis. Addita etiam in fine Canonicorum aliorumque nobilium praesentium nomina. Denique *ad mandatum amplissimorum Ordinum Regni & M. D. Lit. Iosephus Lipski Regens Cancellariae maioris regni* subscriplit. Vtrumque diploma constitutionibus insertum (‡), quod antea contigit nulli. Cum electo Henrico quaestio esset de formula, ad quam diploma scriberetur, suggestit illam *Zamoiseius*, commendando qua Sigismundo I. regnum delatum, addita sanctione ex scripto quo alterutri filiorum Vladislai Jagellonis successio promissa, ut hostis publicus haberetur, qui Regis imperium non coleret (‡*).

(*) Heidenst. p. 30. 41. Vol. Constit. p. 223. p. 226.

- (**) **Articuli Henriciani in vol. Constit. p. 253. f. leguntur.**
- (***) **Heidenst. p. 41.**
- (****) **Heidenst. p. 92. 94. Volum. Constitut. P. 249 — 258.**
- (†) **Heidenst. p. 263. 273. Hist. nost. Pruss. T. IV. P. 26. 27.**
- (†*) **Lunig. Theatr. Cerem. T. II. p. 39. 40. Fam. Europ. part. 351. p. 272. Acta inaugural. Augusti III. quae Dresdae a. 1734. prodierunt. P. 20.**
- (†**) **Constit. a. 1736. p. 73. Acta inaug. Aug. III. P. 20.**
- (†***) **Fama Eur. part. 351. p. 273.**
- (†****) **Histor. nost. Pol. p. 280. Zal. Epist. T. II. P. 447.**
- (‡) **Constit. a. 1699. p. 26. Constit. a. 1736. P. 85.**
- (‡*) **Heidenst. p. 30.**

§. LVI.

Rege declarato, nobiles qui suo nomine, non nuntii, confluerunt, sensim dilabuntur, quique domum suam repetentes. Ordines in comitio consilia continuant: & praeter a nobis memorata, exsequiis defuncti Regis, inaugura-

augurationi electi, comitiis quae inaugurationem excipiunt, ac minoribus conventibus, quae ea praecedunt, diem decernunt: quod ab Henrici electione obtinet (*), solius Stephani inauguratione, in sequenti electionem eius generali conventu constituta (**). Quando vero iam omnia peracta, unumque illud restat, ut in pacta conventa a Rege, si praesens, aut si absens, ab eius legatis iuretur, finis comitiis inter mutuas gratulationes imponitur (***), & vallum, fossae, totumque comitium prouentur. Nonnunquam solet, discordantibus in electione Ordinibus, alius conventus generalis, ante Regis inaugurationem decerni, quo electio firmetur, iis, qui secesserunt ad Rempublicam redeundi copia fiat, & quae tempori consentanea sanciantur. Eiusmodi conventum Poloni *Poparcie* seu confirmationis vocant, qualem post Stephani ad Andreioviam, post Sigismundi III. electionem, prope Visliciam celebrarunt (****). Augusti III. electio novo foedere firmata, quod statim, Ant. Poninscio Mareschalço, coalluit.

(*) Heidenst. p. 30. Vol. Const. p. 220. 222.

(**) Vol. Const. p. 242.

(***) Zavadz. p. 57.

(****) Vol. Constit. p. 235. f. p. 438. f.

§. LVII.

Quae autem in comitiis electionis constituta, tum Regis denuntiatio, eiusque ut antea dictum pacta conventa, uno volumine collecta typis exprimuntur, ut inter Regni leges locum habeant. Factum id ab Henrici tempore, habentque ab electione Vladislai IV. generale nomen, ut acta seu ordinatio comitorum electionis, Polonis *Porządek na seymie walnym elekeyi*, dicantur: qui titulus in electione Henrici, parti tantum eorum datus, quae tum sancita fuerunt (*). Illa vero quae de electione Stephani & Sigismundi III. legibus inserta, vocabulum id non habent. Neque suffragiorum index silentio transmitti debet, nomina eorum qui novo Regi assensi, quemque in suo palatinatu aut terra exhibens. Primum ille actis electionis Vladislai IV. additus, quod exemplum in sequentium Regum electionibus servatum, nisi quod in Augusti II. suffragia denuntiationi Regis praeponuntur, & quae in AVGVSTVM III. collata typis descripta non sunt. In nova constitutionum editione a *piarum scholarum Patribus* curata, suffragia Vladislai IV. & Michaelis desiderantur, non aliam procul dubio ob causam, quam quod exemplo ad suam editionem usi, in quo non exstabant.

(*) Vol. Constitut. p. 210.

§. LVIII.

Peraeta omnium consensu electio, a nemine irrita reddi potest, ut iam confederatio

a. 1573.

a. 1573. (*), eum publicum hōstem habeat, in quem omnes confurgant, qui eiusmodi electioni adversatus fuerit. Contigit tamen, ut cum renuntiato iam Michaelē de eius pactis ageretur, *Mart. Zamoiscius* nuntiorum unus, cui & fratri de bonis ex ordinatione Zamoisciana cum matre novi Regis lis erat, electioni pactisque conventis iam constituendis suo & fratris nomine intercederet, & cum hac sua contradictione ex comitio exiret. Placuit Ordinibus fratres revocare, qui cum redire nolent, consultationes non interrumpēbantur; quibus fere ad finem perductis, ultro Zamoiscii in confessum reverterunt, infestis vocibus excepti, ut nonnulli habendos patriae hostes censerent (**).

(*) Vol. Constit. p. 208. §. Prætoż.

(**) *Zawadz.* p. 52. 53. 57. *Zal. Ep. T. I.* p. 129
131.

CAP. V.

De

Regis electi inauguratione, defuncti, quae inaugurationem electi praecedunt, exsequiis, & quae sequuntur, comitiis.

§. I. *Inauguratio Regis quid efficiat. Anni regni num ab electione, an ab inauguratione*

L 5

nume-

numerentur. Ioannis III. exemplum singulare & ab usu diversum. Quid illi ante inaugurationem ab Ordinibus concessum. §. II. Ordinum est inaugurationi diem dicere eundemque prorogare. Quid sibi licere Henricus crediderit. Exempla inaugurationis in aliud tempus dilatae. Spatium inter electionem & inaugurationem. §. III. Locus ubi peragatur. Quid eius causa maiores Poloni a Ludovico postulaverint. Leopoldis commendata ubi Ioannes III. inauguraretur. §. IV. Publicus Regis Cracoviam ingressus, quem defuncti exsequiae sequuntur. A quo tempore defuncti Regis exsequias electi inaugurationem praecesserint. Reges quorum corpora Cracoviae non condita. Duorum Regum exsequiae simul, & unius bis celebratae. Regi & Reginae iuxta persoluta. §. V. Corpus defuncti Regis in arce Varsaviensi expositum. Cracoviam devehitur. Cura illius quibus mandatur. §. VI. Sumtus in funus ex bonis mensae regiae. De aulicis, quomodo alendi, quaesitum. Sigismundi Augusti corpus privati impensis curatum. §. VII. Pompa funebris. §. VIII. Novus Rex aedem S. Stanislai pedes adit. Primum huius consuetudinis in historia exemplum. §. IX. Descriptio inaugurationis. Ius Archiepiscopi Gnesnensis Regem inaugurandi. Huius iuris explicatio. Exempla Regum

gum non ab Archiepiscopo inauguratorum.
 Episcopi Cuiaviensis ius, Archiepiscopo
 absente. §. X. Rex in leges iurat. Exem-
 pla huius rei vetustiora. Leges de prae-
 stando iureiurando. Antiquior iurisiuran-
 di forma. Quid per intervalla temporum
 additum. Pax inter dissidentes de religione.
 §. XI. Rex ungitur. Vestes quibus indu-
 tus dum regni insignia accipit. §. XII.
 Quae regni insignia, & ubi servantur.
 Leges de eorum custodia. Ob imminens di-
 scrimen alio avecta. Clam ablata & suo lo-
 co restituta. §. XIII. Rex insignibus de-
 coratus populo sistitur. Acclamationes &
 publicae laetitiae testificationes. Reditur
 ex templo in Palatium. Nummi sparsi.
 §. XIV. Regum uxoribus eodem tempore
 diadema imponitur. De matre Casimi-
 ri M. quae hoc honore nurum arcere conata:
 quem Ioannis III. coniugi nonnulli invid-
 ebant. Impedimentum ex religione. Regi-
 na simul sponsa, cum Rege sponso regis in-
 signibus condecorata. §. XV. Publicum
 epulum. Quos Rex mensae adhibeat. Ius-
 iurandum Regi a Cracoviensibus praestatur.
 Equites creantur. Mos antiquissimus qua
 Reges in sua verba Cracovienses adegerunt.
 Lis ea occasione inter Duces Masoviae &
 Episcopos de loco De equitibus nonnulla.
 Alias civitates simul sacramentum Regi Cra-
 coviae dicere. Controversia de loco priore
 inter

inter Vilnam & Leopolim. §. XVI. Iuratur Regi a Senatoribus & nobilibus. Legatus Senatorii ordinis ad maiores Prussiae civitates, qui iusiurandum excipiat. §. XVII. Comititia post inaugurationem. Quis indicat, & ubi habeantur. Quam diu durent. Ioanni III. concessum spatium illorum proferre. Comitiorum breviorum ut & ruptorum exempla. §. XVIII. Vfus novorum sigillorum Regni & Litvaniae. Iurium confirmatio. Huius forma, de qua Henrici tempore certatum. Pax dissidentium religionis causa. Iura utriusque Prussiae, Butoviae, & Leoburgi. Indigenatus Prussiae Poloniae. Confirmationi nomina praesentium adscripta. §. XIX. Denuntiatio inaugurationis regiae. Reditur ad iudicia ordinaria, quae per interregnum cessarunt. §. XX. Recenset Primas acta per se interregni tempore, cui gratiae aguntur, & quae gesta lege probantur. §. XXI. Exorbitantiae. §. XXII. Iudicia in comitiis. Citations Regiae sub sigillo iudicii terrestri. §. XXIII. Legatio Regis ad Papam de obedientia.

§. I.

Vt electio Regem constituit, ita inauguration, vulgo *coronatio*, illum Reipublicae praeficit, ut eam ad legum normam regat. Ab illó tempore Rex iura sua exercet, & qui ante inaugurationem *electus* Rex vocatus, receptis regni

regni insignibus, statim Rex appellatur. Ex hoc etiam spatio incipiunt anni regni currere, qui in litteris ante inaugurationem datis non numerantur, sed simul ac Regi corona solenni ritu imposita, litteris eius annus regni primus additur, cuius initium interregno finem affert. Solus Ioannes III. ab electione regni annos numeravit (*), non alia ex causa, quam quod iura regia ante inaugurationem exercuit, idque Ordinum consensu, a quibus ipsi non tantum permissum exercitum in hostem ducere, sed etiam inaugurationem, si ob subita pericula, constituto tempore celebrari non posset, ad primam Ianuarii 1675, & comitia ad tertiam eiusdem mensis differre, & haec, quae duarum Ordines voluerant, in sex hebdomadam mutare; litteras suas quibus Rempublicam de periculis edoceret, & minores ante comitia conventus indiceret, sigillo *camerae* munire; si eiusmodi discrimina ingruerent, sub eodem sigillo nobilitatem in bellum evocare; epistolis, quas ad Tzarum Russorum daturus, Litvaniae sigillum imprimere, ad alios Principes *camerae* uti, ac sub hoc, novum Archiepiscopum Gnesnensem nominare, si inauguratio ultra diem ab Ordinibus decretam proferenda esset (**).

(*) Denuntiatio Regis coronati Ioannis III. in fine Constit. a. 1676. p. 4.

(**) Porządek Elek. a. 1674. tit. Oznaymienic. p. 10.

§. II.

Inaugurationi dies, ab Ordinibus in electionis comitiis dicitur, ut §. LVI. proximi capituli notatum: quorum etiam auctoritate prorogatur. Quod serius ex Gallia Henricus iter ingrediebatur, minoris Poloniae Senatores, a quarta Octobris 1573. ad vicesimam primam Februarii sequentis anni, inaugurationem proferebant. Post adventum in maiorem Poloniam, referebat Henricus per curiae Regni Mareschalcum, *Opalenium*, ad Senatores maioris Poloniae, qui circa ipsum erant, num eadem dies placeret, quo Mareschalcus illam per praeconem publicari curaret. Sed aegre ferebant maiores Poloni, se insciis minores Polonos inaugurationem prorogasse, monebantque ut dies illa non Regis, sed Senatus nomine ediceretur, cum ante recepta regni insignia Regi nullum esset imperium: quod tamen Henricum offendit, cuius iussu Mareschalcus Posnaniae per praeconem diem publicavit. Inde Senatorum cum Mareschalco expostulatio, ac ab illis decretum, ut quilibet Palatinus, edicto nobilitatem palatinatus sui de die certiore redderet (*). Cum Stephano & Sigismundo III. regni insignia constituto die tradi non possent, qui ex Senatoribus & nobilitate Cracoviam ante inaugurationem venerant, alium edixerunt (**). Vladislao IV. febri Varsaviae detento, quominus iusto tempore Cracoviam venire posset, Ordines inchoa-

inchoabant comitia, quibus a *coronatione* nomen, & quae eam sequi solent, sed omittentur sua consilia, cum Regem intra triduum adfuturum nuntiaretur (***) . Solent electionem & inaugurationem Regis, tres, quatuor & plures menses intercedere, longissime Ioannis III. differebatur, cui, vicesimo primo ab electione mense, diadema imponebatur.

(*) Heidenst. p. 51. 52.

(**) Vol. Constit. p. 248. 441.

(***) Piasc. p. 457.

§. III.

Obtinet a Vladislai Loctici tempore, ut inauguratio Cracoviae peragatur. Ante illum Primislaus, qui ~~omissum~~ duobus saeculis regium nomen restituit, Gnesnae insignibus regiis condecoratus fuit, quod is maiorem tantum Poloniam, non minorem, in qua Cracovia, obtinebat (*). Huius exemplum secutus Venceslaus, licet utramque Poloniam regeret, quod crediderat dignitatem regiam maiori Poloniae inhaerere, qua ex causa, licet minor Polonia iam in eius ditione esset, non prius Rex inaugurari voluit, quam maior accessisset (**). Post hunc Vladislaus Locticus, cum minorem maioremque Poloniam aliquot iam annis rexisset, regia insignia Gnesna allata, Cracoviae a. 1320. ritu solenni suscepit, simul, Dlugosso teste (***), sancitum, ut

ut in posterum non nisi Cracoviae, Regibus & Reginis diadema inponeretur. Ludovicum maiores Poloni orarunt, ut Gnesnae inaugurari vellet, sed praeferebatur Cracovia: quo tamen Poloni maiores delinirentur, promisit Rex, velle regiis insignibus ornatum in templo Gnesnensi publice se sistere, eademque insignia in illa civitate, ut custodirentur, relinquere. Sed neutrum, Polonis minoribus dissuadentibus, factum (****). Postero tempore a. 1564. & 1569. (†) leges inaugurationem Regis Cracoviae asseruerunt. Ne Ioannes II. bello Turcico fervente, longius a finibus discederet, erant qui ipsum Leopoli regiis insignibus condecorari vellet; sed displicuit plerisque novitas, & Cracovia praelata (†*).

(*) Hist. nost. Pol. p. 16. 17.

(**) Hist. nost. Pol. p. 17.

(***) Lib. IX. p. 971.

(****) Anon. Archidiac. Gnesnens. T. II. Scriptor. Siles. Sommersbergii p. 104. 106.

(†) Vol. Const. p. 56. 174.

(†*) Zal. Epist. T. I. p. 653.

§. IV.

Rex diademate redimiendus, paucis diebus ante, magna pompa Cracoviam ingreditur, & ab urbis civibus digno eius maiestate apparatu excipitur: quo modo primus Ludovicus Craco-

Cracoviam introiit (*), cuius exemplum a successoribus servatum. Ingressum novi Regis, defuncti exsequiae, quibus in comitiis electionis diem constituerunt Ordines (**), sequuntur, idque a Vladislai IV. tempore. Stephani enim iusta aliquot mensibus Sigismundi III. inaugurationem secuta (***) ; Sigismundi Augusti, tribus diebus adventum Henrici Cracoviam praecesserunt (****) : & Stephani ipse Rex successor ; Sigismundi Augusti vero, nomine Regis Henrici legatus adfuit. Casimiro M. duae contigerunt exsequiae, alterae privatae secundo ab obitu die, alterae publicae, post Ludovici successoris inaugurationem (†). Nostra aetate Ioannes III. bis publice elatus, primum, corpore a *Contianis* Varsaviae detento, ante Augusti II (†*) ; iterum sub Augusti III. inaugurationem, cum paullo ante corpus Varsavia advectum fuisset. Reges enim a Vladislai Loctici tempore, Cracoviae conditi, praeter Ludovicum, Vladislaum Jagellonidem, Alexandrum & Henricum. Ludovicus in Vngaria mortuus ibidem sepultus ; Vladislaus Jagellonides, Rex simul Vngariae, ad Varnam pugnans occubuit ; Alexander Vilnae, ubi mortuus, humo mandatus, & Henricus in Galliam abiens, suum ibidem sepulcrum habuit. Reliquorum Regum, qui alio intra regnum decesserant loco, corpora Cracoviam devecta sunt, ut Vladislai Jagellonis, Casimiri Jagellonidae, Ioannis Alberti, Sigismundi

M

mundi

mundi Augusti, Stephani ac successorum, qui omnes alibi, quam Cracoviae exspirarunt: imo Ioannis Casimiri reliquiae ex Gallia apportabantur. Vivebat is, cum regni insignia successor Michael reciperet, hinc illius exsequiae huius inaugurationem praecedere non poterant. Ioannes III. autem duorum Regum, memoratorum Ioannis Casimiri & Michaelis funeri adfuit: & Augustus III. praeter parentis Augusti II. etiam Ioannis III. exsequias profecutus, ubi eodem curru, praeter ipsius Ioannis III. uxoris & unius filii corpora vehebantur. Olim Vladislaus IV. patri & matri simul iusta perfolvit (†**).

(*) Anon. Archidiac. Gnesn. Tom. II. Scriptor. Siles. Sommersb. p. 101.

(**) Cap. praeced. §. 56.

(***) Heidenst. p. 284.

(****) Bielsk. Chron. p. 704.

(†) Anon. Arch. Gnesn. p. 100. 104.

(†*) Lunigii Theatr. Cerem. T. II. p. 44.

(†**) Piascc. p. 457.

§. V.

Eum in finem defuncti Regis corpus Cracoviam defertur; iniunctumque, Henrico iam electo, nonnullis Senatoribus, ut Sigismundi Augusti corpus eo comitarentur (*). Ex quo tempore Varlavienſis arx sedes regia evasit,

evasis, obtinet, ut Regam, qui extra illam obierunt, corpus, eo prius quam Cracoviam deferatur, ibidemque post electionem usque novi Regis servetur: idque exempla Vladislai IV. & Michaelis docent, quorum alter Merezii in Litvania, alter Leopoli exspiravit: nec minus Ioannes III. in villa nova, haud longe Varsovia, & Augustus II. in palatio suburbano defuncti, in eandem arcem translati. Ante illos Sigismundus Augustus Knifino, ubi obiit, Tycocinum, inde Varsoviam, tandem Cracoviam (**); Stephanus vero Grodna, in qua civitate animam reddidit, recta Cracoviam devehebatur. Vt etiam omnia in corpore ex dignitate regia fiant, curam agunt Primas & Senatores mortis tempore praesentes, donec in comitiis convocationis, ex Senatu & nobilitate nominantur, qui sua praesentia, ad electionem usque, corpori debitum honorem praestent: quod primum post Sigismundi III. mortem provisum, cura tamen solis Senatoribus mandata (***), quibus in comitiis convocationis a Vladislai IV. obitu, quidam ex equestri ordine additi (****); idque & in posterum servatum (†).

(*) Heident. p. 30. 31. Vol. Const. p. 223.

(**) Neugeb. Histor. p. 643.

(***) Konfed. a. 1632. §. Iako dotąd.

(****) Konfed. a. 1648. p. 15. §. Iako dotąd.

(†) Konf. a. 1674. & 1696. §. Iako dotąd. a. 1733.
 §. Consulendo dignitati.

§. VI.

Sumtus in apparatus funebrem & exsequias; Thesaurarii Regni & Litvaniae, pro rata parte, ex redditibus bonorum ad mensam regiam pertinentium erogant. Id primum post mortem Sigismundi III. lege decretum, ita tamen, ut novi Regis electio sumtus illos terminaret (*), qui in sequentibus interregnis usque ad exsequiarum diem prolati (**): praeter Iohannem III. in cuius funus non in comitiis convocationis, sed electo iam Augusto II. impensae decretae (***), sed a. 1733. provisum, ut Thesaurarii, illius & uxoris, cum Augusti II. corpore Cracoviam deportari curarent, cum illud prius fieri non potuisset (****). In consilio Senatorum, quod Primas statim post laudati Iohannis III. decessum habuit, quaerebat Thesaurarius, quomodo in aulicos, qui circa regium corpus, usque ad comitia convocationis sumtus dispensaret, cum de eo in legibus nihil perscriptum esset, rogabatque ut sibi in hanc rem Senatores aliquot adderentur: posterius negatum, sed concessum, ut ipse sibi legeret, quorum consilio uteretur. Inter quae Palatinus Siradiensis negabat, esse alendos publicis impensis, qui vivente Rege magnas opes cumulassent (†). Ante Sigismundum III. Stephanus Reipublicae sumtibus elatus (†*). Sigismundi Augusti corpore ab omnibus

omnibus fere destituto, neque pecunia in promptu, linthea & alia in pollincturam, regni Referendarius, Czarnkoviensis, de suo comparavit (†**), cuius sumtus ex ducentis millibus nummorum aureorum, quae Tyccini, sorori suae cum reliqua privata gaza tradenda reliquerat, large suppeditari potuissent (†***). Antiquis Regibus, quibus ampliores redditus, ex opibus quas sibi paraverant, funus curabatur.

(*) Konfed. a. 1632. §. Strzegac dignitatem.

(**) Konfed. a. 1648. §. Strzegac dignitatem. a. 1674. & 1733. §. Consulendo dignitati Reipubl. Porząd. Elek. a. 1674. tit. Oznaymienic p. 11.

(***) Constitut. T. V. p. 982. edit. novae.

(****) Konf. a. 1733. §. Consulendo dignitatem

(†) Zal. Epist. T. II. p. 36. 37.

(†*) Piafec. p. 71.

(†**) Heidenst. p. 5.

(†***) Heidenst. p. 5.

§. VII.

Quod ad ipsam pompam funebrem attinet, passim in historia describitur. Primus eam exposuit *Anonymus Archidiaconus Gnesnensis*, in exsequiis Casimiri M. (*), & novissime in Augusti III. inauguratione (**), refertur. Nos potiora delibabimus. Corpus defuncti

Regis ex suburbio in urbem, curru octoiugo vehitur, civibus, monachis, sacerdotibus, academia, praecedentibus. Praeferuntur in equis palatinatum vexilla, tum Regni & Litvanicum; quamobrem in comitiis electionis edicitur, ut palatinatum & terrarum vexilliferi, iusto tempore Cracoviae adsint (***) . Sequuntur vexilliferos, qui Regis defuncti privatum vexillum eiusque clypeum, enses Regni ac Litvaniae, equites gerunt; hos pedibus nobiles, chorus canentium, sacri ordinis potiores, Episcopi & Senatores *saeculares* cum Regni insignibus excipiunt. Funus novus Rex, qui illud prope arcem in privata domo expectat, Mareschallis cum scipionibus demissis praecedentibus, sequitur, hunc proceres, nobiles, alii. Si Regina vidua superest, illique commodum, pariter it exsequias (****) . Hodierna Regina soceri sui funus comitata, postquam matronae incedebant. Itur in templum arcis, ubi Archiepiscopus Gnesnensis, illo absente, Cracoviensis Episcopus, missam celebrat, & unus ex Episcopis defunctum oratione laudat. Peractis quae in funeribus fieri solent, Mareschalci scipiones, Cancellarii sigilla gypso efficta, alii Regis defuncti privatum vexillum & clypeum ad ferale pegma frangunt, tum novus Rex superiorem hastae partem, ex qua vexillum pendet, sua manu a terra tollit. In funere Casimiri M. etiam vexilla Palatinatum fracta (+), quod in exsequis

quibus Augusti II. pariter factum, in descriptione inaugurationis Augusti III. legitur. Post haec corpus tumulo infertur.

(*) T. II. Scriptor, Siles. Sommersbergii p. 104.
105.

(**) Histor. inaugurat. Augusti III. p. 47.

(***) Vol. Const. p. 220. tit. Oznaymiènie.

(****) Biełsk. Chron. p. 587.

(†) Anon. Arch. Gnesens. p. 105.

§. VIII.

Altero, quam defuncto Regi iusta facta, die, novus Rex aedem *Stanislaw* sacram, ante urbem in editiori loco sitam, *Sancti* huius reliquias veneraturus, pedes adit: quod quidem perpetua consuetudine servatum vulgo traditur (*), non tamen ante Vladislawum IV. in historia exemplum reperimus. Hic rheda vectus ad aedem ante urbem, & inde pedes in aliud eiusdem *Sancti* templum, quod in arce regia, se contulit, ubi ad eius sepulcrum sacram coenam, e manibus Archiepiscopi Gnesnensis recepit (**). De Henrico legimus, quod, cum arcem ingressus statim templum adiisset, ipsi ab Episcopo Cracoviensi, ad maius altare, praeter crucem cum sanctis reliquiis, *Stanislawi* caput, ut oscularetur, porrectum fuerit (***)).

(*) Piafec. p. 458.

(**) Piafec. l. c.

(***) Heidenst. p. 52.

§. IX.

Sequitur postriedie inauguratio, Senatoribus & nobilitatis nuntiis, qui ad comitia mox habenda confluerunt, praesentibus, in aede, quae est in arce, *S. Stanislai*. Eo se Rex pedes confert, Regni & magni Ducatus vexilla ac nudos enses, Vexilliferis & Ensisiferis, insignia Regni, coronam, sceptrum, pomum, singulis Senatoribus praesentibus, & Marschallis cum demissis scipionibus proxime antecedentibus. In templo Rex contra praecipuum altare, in solio confidet, cui Vexilliferi & Ensisiferi cum suo quisque vexillo & ense adstant, insignia autem regia, in altari collocantur. Missam celebrat Gnesnensis Archiepiscopus, cui praecipuae inaugurationis partes, idque a primo tempore, quo Poloniae Principes corona redimiti. Hoc eius ius Casimirus Jagellonides a. 1451. firmavit, ut Regi & Reginae, ab Archiepiscopo Gnesnensi corona imponatur, etiamsi quis Episcoporum cardinalitia dignitate eminuerit (*): quae lex a Sigismundo Augusto a. 1550. probata (**). Accedit bulla Papae Sixti V. a. 1589. ius diadema imponendi Gnesnensi Archiepiscopo servans (***), quod ipsi novissime constitutione a. 1736. asseritur (****). Cum Stephanus, Archie-

Archiepiscopo Gnesnenſi in adverſis partibus, inaugurandus eſſet, fanxerunt qui circa Regem Craçoviae erant Ordines, ut lex Sigismundi Auguſti Archiepiscopo ſerviens, tum haberet locum, ſi is a publico nobilitatis conſenſu ſe non ſeiungeret; quod ſi fieret, primus ex maioris Poloniae Episcopis, qui cum nobilitate ſentiret, Archiepiscopi munere defungeretur. Quod ſciturum inter leges quidem relatum non eſt, factum tamen, ut Episcopus Cuiaviensis Stephanum ungeret & regiis inſignibus condecoraret (†). Eadem de cauſa Auguſtus II. ab Episcopo Cuiaviensi inauguratus, Auguſtus III. vero a Cracoviensi, cui hoc honore ſponte ceſſit, qui ex maiori Polonia aderat, Poſnaniensis Episcopus.

(*) Priluſ. Stat. p. 22.

(**) Vol. Conſtit. p. 3. §. A naprzod. Priluſ. Stat. p. 22.

(***) Zalaſz. Ius Reg. Pol. T. I. p. 552.

(****) Conſt. a. 1736. p. 94. tit. Przerogátywy.

(†) Heidenſt. p. 95.

§. X.

Rex e folio, medius inter Episcopos Cracoviensem & Cuiaviensem, ad altare deductus, ſubmittit genua & ab Archiepiscopo interrogatus, num Religionem, Eccleſiam, Regnum tueri veſit, ad ſingula *valo* reſpondet. Tum ſtans in leges Regni iurat, hocque ex antiquo

instituto: ut & Vladislaus Iagellonides a. 1434. iusiurandum illud, aetate licet minor, praestaret (*); quod ob aetatem in aliud tempus fuit remissum, cum Sigismundus Augustus, patre vivente, a. 1530. inauguraretur; declarabant tamen pater & mater suis litteris, non praestandum filio obsequium, nisi iurasset (**), idque ab eo a. 1537. aetatis decimo septimo factum (***) . Casimirus III. cui iusta erat aetas, septimo anno, ex quo regnum solenni ritu ingressus, iuravit (****). Post mortem Sigismundi Augusti sancitum, non eligere Regem, nisi qui iusiurandum illud praestiturus; quod in sequentibus interregnis repetitur (†): & Reges post inaugurationem litteris suis exponunt, se in hoc leges implevisse (†*). Praeit sacramentum Gnesnensis Archiepiscopus, aut qui pro eo Regem inaugurat, obstringitque vetus formula per Deum & sancta evangelia, omnia iura & privilegia, a prioribus Principibus & Regibus, quorum nomina facto a Casimiro M. initio memorantur, legitime concessa servare; omnia illicite a regno alienata, pro viribus recuperare; eius amplitudinem haud minuere, sed fines proferre (†**). Electo Henrico, additum, ut Rex privilegia iuri communi utriusque gentis & libertati non contraria, praeter Regum, etiam magnorum Ducum Litvaniae, nominatimque Vitoldi, immunitates, ac ea quae ab Ordinibus interregni tempore sancita, servet; pacem

pacem inter dissidentes de religione tueatur; eandem quae Regni simul Litvaniae finium rationem habeat; ius ad normam legum, sine procrastinatione & partium studio dicat; utque civibus liceat obsequium renuntiare, si Rex iusiurandum violaret (†***). A Stephani tempore, pariter pactorum conventorum (†****) & a Sigismundi III. eorum, quae in electione constituta ac in proximis post inaugurationem comitiis constituenda, fit mentio (‡). Ioannes Casimirus non tantum privilegia utriusque gentis, sed etiam annexarum provinciarum iuribus contraria, primus excepit (‡*): cuius exemplum successores usque ad Augustum II. secuti, in cuius tum etiam Augusti III. iureiurando, annexae provinciae silentur; contra insertum, iustitiam nullo sanguinis sui respectu administratum, & in conferendis dignitatibus non cognationis sed meritorum rationem habitum iri (‡**).

(*) Dlugoff. Lib. XI. p. 667.

(**) Biels. Chron. p. 561.

(***) Biels. p. 576.

- (****) Dlugoff, Lib. XIII. p. 115.

(†) IV, Cap. pracc. §. 44.

(†*) Vol. Constit. p. 228. 267. 278. 446. Const. a. 1633. p. 3. a. 1649. p. 3. a. 1670. p. 3. a. 1676. p. 5. a. 1697. p. 6. a. 1736. p. 75.

(†**)

(†**) Lasco Stat. f. 161. p. 4. Priluf. Stat. p. 20.
Dlugoff. XIII. 115.

(†***) Vol. Constit. p. 226.

(†****) Vol. Constit. p. 250.

(‡) Vol. Constit. p. 447.

(‡*) Constit. a. 1649. p. 3.

(‡**) Constit. a. 1697. p. 6. 7. Constit. a. 1736.
p. 75. 76.

§. XI.

Dicto sacramento, in cuius fine, digiti in *evangeliorum* libro ponuntur, Rex in brachio dextro, humero sinistro & fronte oleo ungitur, quod mox abstergitur. Deinde in sacellum cui Zadzikianum nomen, Vexilli eris, Ensisferis, Senatoribus cum Regni insignibus, & Mareschalcis cum demissis scipionibus praecedentibus, inter duos Episcopos, se confert, unde sacro habitu ad solium, mox ad altare redit. Hunc sacrum habitum descripsit Dlugoffus (*) in Vladislai Jagellonidae inauguratione, ipsum *sandaliis, humerali, alba, manipulo, stola, dalmaticis & cappa pluvioli* indutum referens. Ante aram ab Archiepiscopo ense regni cingitur, quem evaginatum converterius ad populum, ter in crucis formam vibrat. Reddito vaginae ense, corona quam supra caput eius circumstantes Archiepiscopum Episcopi, dum ab illo preces fiunt, tenent, ab Archiepiscopo imponitur, sceptrum pomumque tradun-

traduntur, ac regium pallium humeris circumdatur: Ensihero regni inter haec balteum solvente, ac Regi iterum ensen tradente, quem statim a Rege recipit, ut in vagina praeferat: regni Vexillehero simul vexillum exhibente, quod Rex sua manu ipsi reddit.

(*) Lib. XI. p. 667.

§. XII.

Libet nonnulla de insignibus regiis inferere. Sunt ea, ut modo dictum, *corona, sceptrum, pomum*, a Primislao Rege repetenda; coronam tamen vetustioreni statuit Dlugoffus (*), quasi eadem sit, qua Boleslaus audax, & qui ipsum praecesserunt, usi. Servabantur insignia aliquot annos Gnesnae, donec Vladislavus Loteticus Cracoviam transferri curaret (**). Hinc a Ludovico in Vngariam deportata, ne ipso absente, alius iisdem condecoraretur, & a Sigismundo Caesare ac Vngariae Rege, Vladislavus Jagelloni a. 1412. restituta sunt (***) . Qua ex causa pro eodem Vladislavo alia corona ac sceptrum fabricandum, cum a. 1386. inaugurandus esset (****). Locus illis est in regni thesauro qui in arce Cracoviensi (†), & post electionem Henrici sancitum, ut ibi custodiantur a regni Thesaurario, sub sigillis & clavibus Castellani Cracoviensis & Palatinorum Cracoviensis, Posnaniensis, Vlnensis, Sendomiriensis, Calisiensis, Trocensis; neque Thesaurus, nisi omnium Ordinum consensu referetur

referentur (†*). Secuta alia lex a. 1632. ne conclave in quo regia insignia, sine memoratis Senatoribus aperiatur, quae a. 1648. repetita (†**). *Confoederatio* a. 1668. hoc amplius addit, ut habeat conclave septem seras, singulas singulis Senatorum clavibus aptatas (†***), idque *confoederatio* a. 1674. probat (†****). Quare Senatores illi, inaugurationis tempore aut ipsi adesse, aut claves suas mittere solent, quo insignia deponi possint; praesentiamque illorum hebdomade ante inaugurationis comitia, *confoederationes* a. 1674. & 1733. exigunt (†). Tempore belli Svecici secundi, avecta fuerunt insignia Lubovlam in Scepusiensi tractu, unde pace composita Cracoviam relata (†*): & fervente tertium cum Svecis bello, cura Cuiaviensis Episcopi, *Szem-bekii*, extra regni fines deportabantur, sed restituta suo loco, cum publica tranquillitas rediisset (†**). Interregno a. 1733. aliam ob causam, insignia ex Thesauro clam ablata, in quo, domesticis diffidiis per concordiam compositis, reponebantur (†****).

(*) L. VII. p. 877.

(**) Dlugoff. XI. 971.

(***) Dlugoff. X. 13. XI. 331.

(****) Dlugoff. X. 105. Bielisk. Chr. p. 272.

(†) Prilus. Stat. p. 22.

(†*) Vol. Const. p. 256. §. Korona.

- (†**) Konfed. a. 1632. & a. 1648. §. Ktorym dzień,
 (†***) §. Aby skarb. p. 12.
 (†****) §. Aby skarb. p. 13.
 (‡) Konfed. a. 1674. §. Aby skarb. p. 13. a. 1733.
 §. Skarb. Rzeczyposp.
 (‡*) Const. a. 1661. p. 15. tit. Deklaracya.
 (‡**) Const. a. 1703. p. 13. tit. Oddanie. a. 1726.
 p. 65. tit. Oddanie.
 (‡***) Const. a. 1736. p. 98. tit. Kleynoty.

§. XIII.

Vt ex hoc quasi diverticulo ad inauguratio-
 nem redeamus. Rex illo, quem diximus,
 modo exornatus, in pegma, quod in medio
 templi excitatum, Vexilliferis vexilla, Ensi-
 feris enses, Marschallis scipiones adhuc de-
 missos praefertibus, & Archiepiscopo Gnes-
 nensi ac Cracoviensi Episcopo utrumque latus
 stipantibus, deducitur, ibidemque ipsi, spe-
 ctante omni populo, ab Archiepiscopo solen-
 nibus verbis regnum traditur. Canitur hymnus
Ambrosii, post quem ter acclamat Primas, *vivat*
Rex! omni concione toties respondente, neque
 bombardis tormentisque extra templum silenti-
 bus, quae disploduntur. Revertus Rex ad a-
 ram, Archiepiscopo nummos aureos in pios
 usus offert, & positis insignibus sacra coena re-
 ficitur. Deinde cum insignibus solium repetit,
 & Archiepiscopus precatione eius salutem Deo
 commendat, & vel ipse vel Regni Marschal-
 cus,

cus, iterum *vivat Rex!* ter acclamat, quod a tota concione ter repetitur & publica laetitia tormentorum scloporumque dislosionibus, tubis & timpanis concinentibus declaratur. Dum Rex templo egreditur, sparguntur a regni Thesaurario nummi, in memoriam inaugurationis cusi, idque fit, tota in palatium via, quo Rex regni insignibus decoratus, vexillis, ensibus, scipionibus iam erectis praelatis, ad epulum pedes se confert.

§. XIV.

Quod si Rex matrimonio iunctus, simul coniux diademate exornatur, in quo Przemislaus successores exemplo praeivit, cuius uxori una cum marito, corona imposita fuit (*); idque in Vladislai Loctici, Casimiri M. Ioannis III. & Augusti III. coniugibus servatum. Casimiri M. uxor, quo minus diademate redimiretur, obstitit primum focrus, Vladislai Loctici vidua, quod non duae Reginae in regno esse possent, caussata. Sed cessit precibus filii, & ne, ut ipsa quidem credebat, nurus dignitati officeret, Sandecium in *S. Clarae* monasterium, institutum *Francisci* amplexa, abiit (**). In Ioannis III. inauguratione non deerant, qui contradictionibus Reginam illo honore arcere conarentur, quorum animum, qui Regiae domui addictiores, in consensum flexerunt (***) . Alexandri & Augusti II. coniuges, corona non exornatae, cum ma-
riti

siti illa insignirentur, quod diversam a Romana catholica religionem profitebantur. Ante illas Ludovici uxori, ob absentiam, honoris non contigerat. In Stephani inauguratione simul eius sponsa, Anna, Sigismundi I. filia, regni insignia accepit, nuptiis postridie sequentibus: & erat ratio, quod eadem Anna, cum Stephano Regina renuntiata fuerat (***):

(*) Anon. Archid. Gnesn. p. 88. Dlug. VII. 877.

(**) Anon. Archid. Gnesn. p. 95.

(***) Zal. Epist. T. I. p. 678.

(****) Heidenst. p. 95.

§. XV.

Reversus in palatium Rex, publice in conclavi Senatorio epulatur, cuius mensae etiam Regina & exterorum Principum legati affident, Polonis & Litvanis, quibus cibi portionisque cura, & qui sunt *Praefecti culinae, Pocillatores, Incisores, Dapiferi, Pincernae*, ministrantibus. Ioannes Casimirus, praeter Papae Nuntium, Archiepiscopum Gnesnensem (*); Michael cum Papae Nuntio & legato Caesareo, matrem suam & dicti legati coniugem (**); Ioannes III. Papae Nuntium, Regis Galliae & Electoris Brandenburgici (***) ; Augustus II. Caesaris & Electoris Brandenburgici (****); & Augustus III. ad cuius latus Regina, Caesaris & Augustae Russorum legatos

N

tos

tos adhibuerunt (†). Aliae mensae pro Senatoribus, nobilibus & matronis instruntur. Postero die, Rex in urbem ex arce eques se confert, Regni ac Litvaniae vexillis & ensibus, tum insignibus regiis, ab illis quibus id muneris, in equis praelatis. Iter primum in curiam, hinc corona, sceptro, pomo exornatus Rex, pegasus in foro excitatum ascendit, & ab urbe Cracoviensi & aliis civitatibus, si qui earum nomine adsunt, iusiurandum in solio, assidentibus ad utrumque latus in scannis Senatoribus, excipit: quo peracto, aliquot non nobiles, ense Regni & Litvaniae per vices tergum leviter feriens, equites creat. Inter quae in signum obsequii, urbis claves Regi exhibentur, quas acceptas, statim reddit. Post, Rex in curiam, & positis insignibus, eadem pompa qua venerat, in arcem revertitur, nummis, qui in memoriam inaugurationis cusi, iterum sparsis. Iam Vladislaus Locticus, postridie quam regiis insignibus decoratus, splendido apparatu, ex arce in urbem descendit, ac cives in sua verba adegit (†*), idque ab eius successoribus servatum: nisi quod de Casimiro M. Ludovico, Ioanne Alberto & Alexandro filetur. Vladislaus Jagellonides & frater Casimirus, licet hunc in finem in urbem venissent, iusiurandum non exceperunt, quoniam inter Masoviae Duces & Episcopos lis de loco, cum & Duces & Episcopi ad latus dextrum solii regii priores sedere vellent (†**).

Equites

Equites creatos ante Sigismundum I. haud legimus (†***), neque occurrit, Reges alioquam regni ense usos, sed per vices litvanum ab Augusto III. etiam fuisse adhibitum, ii retulerunt, qui praesentes spectarunt. *Piassecius* auctor est, quod cum Rex Vladislaus IV. plures plebeios & militiae ignaros ad hunc honorem admiserit, nobiles eum fastidire coeperint (†****), Michaeli post Cracovienses, Vilna & Leopoli, per eos quibus harum nomine aderant, iurarunt, disceptatumque ultra prior ad iusiurandum admitteretur: sed Vilna, quod Litvaniae caput, Leopoli praeferebatur (†).

(*) Lunig. Theatr. Cerem. T. II. p. 13. Pastor, Hist. plen. p. 248. 249.

(**) Lunig. l. c. p. 16.

(***) Pufend. de reb. Frid. Vilh. L. XIV. §. 3.

(****) Lunig. l. c. p. 45.

(†) Acta inaug. Augusti III. p. 69.

(†) Dlugoff. IX. 971.

(††) Dlugoff. XI. 668. XIII. 27.

(†††) Vapov. p. 534.

(††††) Piassec. p. 459.

(†) Zavadz. p. 62.

§. XVI.

Non tantum Cracovia & aliae, quae eo suos mittunt, civitates, post inaugurationem Regi iurant, sed etiam Senatores & nobiles sacramentum dicunt, quod sibi praestitum Henricus eiusque successores in suis litteris fassentur (*). Quia Litvani & Prussi absentes, cum regni insignia Stephanus Cracoviae reciperet, illi missis utriusque Ordinis Varsoviam legatis obsequium detulerunt (**); & Consiliarii Prussi Regi Thorunni iurarunt, nec non duo Palatini Poloni, Brestensis & Iunovladislaviensis, qui inaugurationi non adfuerant (***) . Sigismundo III. altero ab inauguratione die, Senatus sacramentum dixit, & in comitiis placuit, ut Senatores, Magistratus, Praefecti, bonorum regionum possessorès, qui nondum iurassent, intra quatuor hebdomades, a publicato edicto, in Polonia in suo quisque castro, in Prussia apud suum quisque Palatinum, sacramentum Regi dicerent, ad Episcopos vero & Palatinos a Rege Secretarius mitteretur, qui id exigeret (****). Vladislao IV. altero ab inauguratione die iuratum ad formulam, quae fidem & obsequium Regi praestandum continebat (†). Pro Ioanne Casimiro, etiam die qui inaugurationem secutus, iusiurandum exceptum (†*). Comitiis, quae inaugurationem Augusti II. sequebantur, iam finis imminebat, iureiurando nondum praestito. Monēbat regni Referendarius *Szczuka*, ut Senatores & quibus

quibus minores dignitates, in Regis verba iurarent, hocque comitia terminarentur. Quod antequam Ordines Cracovia discederent factum (†**). Qui tum in *Contianis* partibus, iurabant in Regem, cui ipsi suum obsequium profiterentur. Non deerant, qui consuetudinis ignari, sinistre acciperent, exigi iusiurandum a Senatoribus, qui in Regis defuncti nomen iurassent. Quibus demonstratum, recte novo Regi a Senatoribus olim iuratis, fidem obstringi, cum in Regem priorem, non simul in eius successorem iurassent; esse etiam aequum ut dum Rex Republicae, Senatores vicissim Regi sacramento obligentur, idemque exempla priorum temporum deponere (†***). Augusto III. eodem die quo post inaugurationem comitia inchoabat, circumstantes eius solium Senatores & alii sacramentum dixerunt, Cracoviensi Episcopo, quod adhuc Procancellarius regni erat, verba praeunte (†****). Qui non Cracoviae iurarunt, iurant alibi, quisque suo loco, daturque maioribus in Prussia civitatibus, ut ad eas vel alteruter Cancellariorum Regni, vel alius Senator, qui excipiat iusiurandum, mittatur.

(*) Vol. Constit. p. 229. & denuntiationes singulorum Regum, quae constitutionibus comitiorum coronationis praemittuntur.

(**) Heidenst. p. 100.

(***) Hist. Pruss. T. III. p. 217. 218.

- (****) Heidenst. p. 283. Vol. Const. p. 473. Piafec.
p. 86.
- (†) Piafec. p. 459.
- (†*) Lunig. Theatr. Cerem. T. II. p. 14.
- (†**) Zal. Epist. T. II. p. 444. 445. 448.
- (†***) Zal. I. c. p. 506.
- (†****) Fama Europ. part. 351. p. 276.

§. XVII.

Incipiunt postridie, quam iuravit Cracoviensis civitas, comitia, quae a *coronatione* nomen habent, de quibus ea, quae ipsis peculiaribus, exponam; communia enim cum aliis, alibi dicendi erit locus. Indicuntur ab Ordinibus, antequam electione Regia peracta discedunt (*), nec alibi quam Cracoviae haberi possunt; ut etiam lex, quae tertia quaeque comitia Grodnae celebranda sanciebat, illis quae inaugurationem excipiunt, antiquum suum locum servaret (**). Singulare plane fuit, cum Ioanni III. facultas data, diem comitiarum ab Ordinibus constitutum, proferendi, quod §. I. memoravimus. Idem Ordines, etiam tempus definiunt, quousque durare debeant, quod modo trium, modo sex, modo duarum est hebdomadum (**): nonnunquam spatium illud plane filetur. Ioanni III. pariter permittebatur, duabus hebdomadibus, quas Ordines comitiis statuerant, quatuor adiacere (****): quo factum, ut sex hebdomadum

dum comitia evaderent. Si tamen comitia intra definitum tempus absolvi non possunt, sed publicum commodum longius exigit, consensu Ordinum, ut alia, prorogantur; quod post inaugurationem Ioannis Casimiri accidit (+). Breviora erant comitia, quae Augusti II. & Augusti III. inaugurationem excipiebant, quia ob intestina dissidia, nonnulla de quibus consultandum, in sequentia reiicere placebat, & spes erat, posse illo spatio concordiam restitui. Ex huius generis comitiis una fuerunt rupta, quae capeffente regnum Michaele, a. 1669. habebantur: quod pro tristi regiminis omine acceptum (+*).

(*) §. 56. cap. praeced.

(**) Const. a. 1673. p. 18. tit. Seym trzeci.

(***) Porządek elekc. a. 1648. p. 9. a. 1669. p. 9.
a. 1674. p. 9.

(****) §. 1.

(†) Pastor. histor. Pol. p. 485.

(+*) Histor. nostr. Pol. p. 232.

§. XVIII.

In his comitiis, Rex suum regimen iam ingressus, Regni & Litvaniae sigillis uti incipit, quae nova utriusque gentis Cancellarii accipiunt. Ante omnia litteris suis regni iura confirmat, quod a Ludovici tempore (*), ad nostram usque aetatem factum, ac

facturos se, Henricus eiusque successores in pactis suis conventis (***) promiserunt. Ab Henrico primum exactum, ut ante inaugurationem iura firmaret, quod cum post eam dilatum, inter Ordines de formula certatum, qua non conveniente (***), Rex generatim iura & privilegia Poloniae, Litvaniae, omniumque provinciarum, tum etiam singulorum rata habuit, idque polonica lingua (****). Pro Stephano, latino sermone scripta formula, quam tum ante suum ex Transilvania discessum, tum post inaugurationem probavit. In hac recensentur privilegia, donationes, inscriptiones, advitalitates, libertates, praerogativae, immunitates, Regni, magni Ducatus, & utrique iunctarum terrarum communes & singulares, privatorum cuiuscunque conditionis & sexus, civitatum, oppidorum & quorumvis locorum, privatae, ecclesiasticae, civiles, olim per Poloniae, Litvaniae, terrarumque reliquarum Reges, Principes, Duces ac Dominos, nominatim Casimirum Magnum, Ludovicum, Vladislavum Jagellonem, huius fratres Vitoldum & Sigismundum magnos Litvaniae Duces, Vladislavum III. Casimirum III. Ioannem Albertum, Alexandrum, Sigismundum I. Sigismundum II. ac Henricum; nec non per Magistros, Praeceptores Livoniae, Duces, Principes ac Dominos terrarum Russiae & Masoviae, legitime concessae nec iuri communi utriusque

utriusque gentis contrariae, iura, leges, statuta, constitutiones, ordinationes, cum in aliis, tum in electionis Henrici, Andreioviensibus, & quae inaugurationem Stephani secuta comitiis sancitae, ne tamen specialitas generalitati, aut generalitas specialitati deroget, denique pacta conventa, quae omnia Rex confirmat, eorumque usum sancte spondet: ac praeterea iniuste ab hostibus erepta recuperare; fines Regni & Litvaniae pro viribus proferre, & si quid contra iura factum fuerit, illud omne irritum, pacemque inter dissidentes de religione intemeratam fore, pollicetur (†). Ad hanc Stephani confirmationem, sequentium Regum fere perscriptae fuerunt. Sigismundus III. praeter Poloniam & Litvaniam, pariter Ruffiam, Prussiam, Masoviam, Samogitiam, Kioviam, Volhiniam, Podlachiam, Livoniam nominat, quarum iura salva esse debeant, reliquis etiam Principibus Magistros Prussiae, Archiepiscopos & Episcopos Livoniae ac quicquid a Stephano in Livonia, postquam recuperata, ordinatum adiicit, & inter constitutiones, etiam quae de Regni tribunalibus, memorat. Eadem repetit Vladislaus IV. simul ecclesias graecas de suis privilegiis securas esse iubet. Ioannes Casimirus iurium Prussiae Ducalis in eventum, si Regi immediate subesset, & cum iuribus Prussiae Polonae, seorsum Indigenatus meminit, spondetque, dignitates ad eius

praescriptum & constitutionem anni 1647. Prussiae indigenis collatum iri, ac quicquid generatim de conferendis vacuis honoribus bonisque, pactis conventis insertum, Prussorum iuri derogare haud debere. Michael iuribus Prussiae Ducalis, Leoburgi & Butoviae addit. Ioannis III. confirmationi nihil est insertum, quod non in prioribus legeretur. In Augusti II. cum reliquarum provinciarum; Smolensciae, Severiae, Czernichoviaeque iura occurrunt, cum qua in omnibus Augusti III. confirmatio convenit. Huic iurium confirmationi adscripta illorum nomina, quibus praesentibus data, idque a Stephani tempore obtinet; & a Ioannis Casimiri, in fine civitates illae, quae ad electionem admitti solent, leguntur. Singuli etiam Reges, omnes suos decessores, a Casimiro M. usque ad proximum, quibus iura & privilegia debentur, nominant.

(*) Laf. Stat. f. 40. Priluf. Stat. p. 26. f. Ianuszov. Stat. p. 14. f.

(†**) In fine pactorum conventorum.

(***) Heidenst. p. 52. f.

(****) Vol. Constit. p. 227.

(†) Vol. Constit. p. 258. 269.

§. XIX.

Praeter confirmationem iurium, Regis nomine

mine edictum latine scribitur, quo omnibus denuntiatur, Regem libere electum, firmatis iureiurando pactis conventis, Cracoviam venisse, ac celebratis decessoris sui exsequiis, post iusiurandum in Regni iura, oleo sacro unctum ac insignibus regiis condecoratum, regimen suscepisse, dicto illi a Senatoribus, & quibus minora munia, tum a civitate Cracoviensi, multisque aliis sacramento: quod in civitatibus, oppidis & villis, sive propositis publice litteris, sive praeconis voce, ad singulorum notitiam deducere, actisque publicis inferere iubentur, quorum id munus est; addito, ut qui ob interregnum officia sua omiserunt, post iusiurandum in verba Regis resument, & iudicia terrestria, castrensia, tribunalia Regni & Litvaniae, civitatum ac alia quaevis, ex legum praescripto vel consuetudine fieri solita, Regis nomine & auctoritate exercent. Quod si Regina simul corona redimita, fit inaugurationis eius pariter mentio, idque ex denuntiatione Stephani, Ioannis III. & Augusti III. patet. Eiusmodi edictum primum post Stephani inaugurationem publicatum, ex quo tempore, una cum confirmatione iurium, constitutionibus comitiorum *coronationis* praeponi consuevit. Abruptis post Michaelis inaugurationem comitiis, nec minus alteris irritis, ante tertiorum demum comitiorum constitutiones, diplomata illa leguntur. Augusti III. constitutionibus a. 1736. prae-

praemissa sunt, cum statim post inaugurationem a. 1734. typis exscripta prodiissent. A Sigismundi III. tempore, pariter iusiurandum a Rege in ipsa inauguratione praestitum additur: cui Augustus II. & Augustus III. iusiurandum in pacta conventa iungi voluerunt.

§. XX.

In comitiis post inaugurationem Mareschalcus, nuntiorum, cum primum conclave Senatorum ingreditur, Regi regnum gratulatur, idque singulare, quod post nobiles, civitates quibus electioni Regis adesse licet, ad osculum manus regiae admittantur; id quod in aliis comitiis fieri non solet. Ioannis Casimiri dexteram, Cracovia & Vilna (*); Augusti II. praeter Cracoviam & Vilnam, Leopoldis, Posnania, Varavia osculo veneratae: quo tempore etiam ad eundem honorem, a nuntiorum Mareschalco Lublinum fuit vocatum, cuius autem nomine nemo aderat (**). Illa de quibus deliberandum, ut in aliis comitiis, ore Cancellarii ad Ordines referuntur, & quando censendi tempus est, Primas gesta a se per interregnum exponit, faciuntque Senatores honorificam de eo in suis sententiis mentionem, & nuntiorum Mareschalcus, equestris ordinis nomine, navatam ab illo operam, gratiarum actione prosequitur (***). Tum acta interregni constitutione probantur, ita tamen ut & notentur quae secus facta, quo Regi & Ordinibus

nibus displicere constet. Primum exemplum, comitia post inaugurationem Stephani dederunt (***) , quod in primis quae Vladislaus IV. Ioannes Casimirus, & Ioannes III. habuerunt comitiis, repetitum. Sigismundus III. & Augustus II. acta interregni silentio transmiserunt; Michael tertiis ab inauguratione comitiis rata habuit, quod priora duo non successerant; Augustus III. regni tertio anno, in comitiis *pacificationis* eorum quae interregni tempore decreta, alia confirmavit, alia damnavit, omnia ad veterum iurium normam revocans (†); at in comitiis post inaugurationem, foedus Ordinum pro sua Maiestate post electionem initum, assensu corroboravit.

(*) Pastor. hist. Pol. plen. p. 254.

(**) Zaluf. Epist. T. II. p. 442.

(***) Pastor. l. c. p. 270.

(****) Vol. Constit. p. 295. tit. Interregni acta.

(†) Const. a. 1736. p. 5. tit. Acta interregni.

§. XXI.

Nonnunquam in *coronationis* comitia *exorbitantiae* reiiciuntur, quarum correctio cum post inaugurationem Sigismundi III. absolvi non posset, in proxima comitia differebatur (*). In electione Vladislai IV. & Ioannis Casimiri decretum, ut de *exorbitantiis*, in comitiis quae inaugurationem exciperent, ageretur (**): quod futurum, Michael in pactis

ctis suis promisit (**). Ioanne III. Rege creato, Ordines *exorbitantiis* altera post inaugurationem comitia destinarunt (****): qui electo Augusto II. constituerunt, ut Rex, peculiaribus *exorbitantiarum* comitia sex hebdomadam indiceret (†). Quare memoratus Augustus II. post suam inaugurationem, novis comitiis *pacificationis & exorbitantiarum* se promissum declaravit, ut, in quantum posset, vulneribus Reipublicae remedium adhiberetur (†*).

(*) Vol. Constit. p. 491.

(**) Porz. Elek. a. 1632. p. 8. & a. 1648. p. 8.

(***) P. C. §. A iz sięinsze.

(****) Porz. Elek. a. 1674. tit. Oznaymienic. p. 9.

(†) Oznaymienic Krolá a. 1697.

(†*) Constit. a. 1697. tit. Reces Seymu coronationis p. 15.

§. XXII.

In huius generis comitiis, ut in ordinariis, iudicia exercentur, sed citationes fiunt nomine Regis electi, sigillo iudicii terrestris appposito; quod regni sigillo uti nondum licet (*). In comitiis post Ioannis III. inaugurationem, Ordines, ob breve duarum hebdomadam constitutum spatium iudicia celebrari noluerunt (**): quorum nulla facta mentio, cum dies comitiis post

post Augusti II. & Augusti III. inaugurationem habendis diceretur.

(*) Porząd. Elek. a. 1632. p. 8. a. 1648. & 1669. p. 9.

(**) Porz. Elek. a. 1674. p. 9.

§. XXIII.

• Finitis comitiis mittit Rex legatum ad Papam de obedientia. Hac ex causa, venit ad Vrbanum VI. a Vladislao Jagellone Posnaniensis Episcopus, displicuitque Papae, quod solennis legatio aliquanto tardius venerit (*). Vnde colligi potest, Vladislaum Jagellonem non primum fuisse, qui post inaugurationem summum Pontificem legatione coluerit. Eius exemplum secuti successores, inter quos Stephanus viarum & temporum difficultates litteris excusavit, quod more decessorum suorum non statim post inaugurationem oratorem miserit (**). Mortuo regni aemulo Maximiliano II. Caesare, & diffidiis intestinis compositis, ivit Romam *Paulus Vchanius*, qui cum lentius iter faceret, ut altero demum anno in urbem veniret, submissus *Petr. Wolscius*, Plocensis Episcopus, sed prior legatione perfunctus, antequam alter ipsum assequeretur (***) . Quam pro Vladislao IV. *Georgius Ossolinus*, Thesaurarius curiae regni, a. 1633. apud Papam orationem habuit, typis exscripta legi potest (****). Augustus II. *Georgium Dziejoszycium Capitaneum*

neum Zydaczeviensem (+), Augustus III. Stan. Grabovium, nominatum eo tempore Episcopum Culnensem, Romam misit.

(*) Dlug. X. III. Biels. Chron. p. 273.

(**) Heidenst. p. 104.

(***) Sulicovii Comment. rer. Pol. p. 103.

(****) Est prima inter orat. Offolinii quae Gedani a. 1648. prodierunt.

(†) Lunigii Litterae Procer. Eur. T. III. p. 580-581.

CAP. VI.

De

Regis titulo & maiestate.

§. I. *Titulus Regis brevissimus saeculo XI. Vladislai Loctici & Casimiri M. Litvania accessit titulo. Cur Vladislaus Jagello supremus, & eius filius Casimirus, magnus Litvaniae Dux appellatus. Prussiae terrae titulo insertae. Brevior Casimiri III. titulus. Ex qua causa Ioannes Albertus supremus, quam magnus Litvaniae Dux, vocari maluerit. Rex modo totius Prussiae, modo Prussiae Dominus dictus. Masoviae & Samogitiae nomina. Reges ne se heredes dicant. Titulus regius publica auctoritate scriptus. Cui Podolia, Severia, Czernichovia*

chovia & Smolenscia accesserunt. Quid de Kiovia, Smolenscia, Severia & Czernichovia, cum Russico imperio pacto constitutum. Qui titulus Regius usu obtineat.

§. II. Titulo Polono externus additur: Venceslai, Ludovici, Vladislai III. Henrici, Stephani, Sigismundi III. Vladislai IV. Ioannis Casimiri, Augusti I. Augusti III. exempla. Titulus externus olim adiectus, post omissus. §. III. Rex Poloniae caeteris Regibus par. De priore loco inter Poloniae & Daniae legatum contentio. Polonus non vult Russico cedere Caesarianorum declaratio. Titulus Maiestatis, quem Caesar & Galliae Rex, Regi Poloniae negant. Opera ut obtineretur, quae frustra fuit. Rex Celsissimus & Excellentissimus appellatus, quod Senatores indignati.

§. I.

Regis titulus non semper fuit idem, sed diverso tempore diversus. In Kadlubkonis historia (*) legitur epistola Vladislai, qui Boleslai audacis frater & successor, brevem hunc titulum praeferebat, *Vladislaus Dei gratia Rex Poloniae*. Postea amplior placuit. Vladislaus Locticus, antequam insignia regia recepisset, *Cracoviensis, Sandomiriensis, Siraadiensis, Lanciciensis, Cuiaviensis, Regni Poloniae ac Pomeraniae Dux & haeres* dictus (**). Eius filius Casimirus M. se *Dei gratia Regem*

O

Polo-

*Poloniae, nec non terrarum Cracoviae, Sandomiriae, Siradiae, Lanciciae, Cuiaviae, Pomeraniaeque Dominum & haeredem (***)*; occupata Russia, *Poloniae & Russiae Regem (****)*; mox *Russiae* vocabulo post omnes regiones posito, *Pomeraniae Russiaeque Dominum & haeredem* appellavit (†). Iuncta Poloniae a Vladislao Jagellone Litvania, coepit Rex Poloniae, *Princeps supremus Litvaniae* dici, quae appellatio inter *Cuiaviam & Pomeraniam* ponebatur (†*): ideo autem Rex *Princeps supremus Litvaniae* vocari valuit, quod sub ipso alius Litvaniae magnus Dux praererat. Filius Vladislai Jagellonis Casimirus, nomen *magni Ducis* recepit, quod praeter ipsum non alius Dux Litvaniam regebat. Auxit titulum, in eius ditionem concedens Prussia, ut in fronte *privilegii incorporationis* legeretur, *Casimirus Dei gratia Rex Poloniae, nec non Cracoviae, Sandomiriae, Siradiae, Lenciciae, Cuiaviae, Magnus Dux Litvaniae, Russiae Prussiaeque, Culmensis, Konigsbergensis, Elbingensis & Pomeraniae Terrarum Dominus & haeres*. Pace cum Ordine Teutonico constituta, *Konigsbergensis* terra omittebatur, quia sub potestatem Equitum Teutonicorum redierat (†**). Sunt etiam diplomata breviori titulo, in quibus Casimirus *Rex Poloniae, magnus Dux Litvaniae, Russiae Prussiaeque Dominus & haeres* vocatur (†***). Ioannes Albertus se ad avi exemplum *supremum Ducem Litvaniae*

vaniae (†***) dicebat, quod frater minor natu, Alexander, magnus Dux, Litvaniam regebat. Sigismundus I. qui fiduciaria lege Alberto Brandenburgico Prussiae partem contulit, & Masoviam suis Ducibus destitutam recepit, vocatur *Rex Poloniae, magnus Dux Litvaniae, Russiae, totius Prussiae ac Masoviae Dominus & haeres* (‡), vocabulo *totius*, ubi Prussiae fit mentio, nonnunquam omisso. Filius eius Sigismundus Augustus, ut in titulo varius, ita reliquis nominibus *Samogitiam* adiecit, quod passim ex constitutionibus regni patet. Post huius sine prole mortem, ab Ordinibus lege sancitum, ut Reges nomine haeredis abstinerent, & in forma iurisiurandi regii, qualis placeret, titulus descriptus, ubi *Rex Poloniae, magnus Dux Litvaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae, Kioviae, Volhiniae, Podlachiae, Livoniaeque* legitur: quem Henricus confirmationi iurium praeposuit, *Kiovia, Volhinia, Podlachia* omissis (‡*). Stephanus & Sigismundus III. in suis titulis modo Henricum imitati, modo cum caeteris provinciis, simul *Kioviam, Volhiniam, Podlachiam* nominarunt. Vladislaus IV. regimen ingressus, *Podoliam, Severiam, Czernichoviam*; & a. 1638. *Smolensciam* adiecit (‡**). Cum pace a. 1686. *Kiovia, Smolenscia, Severia & Czernichovia*, magnis Russorum Tzaris relinquerentur, convenit, ut Reges Poloniae, nominibus harum regionum

abstinerent, quoties cum magnis Tzaris vel per litteras, vel per legatos agerent, sed iis Tzari uterentur (‡**). In reliquis litteris & diplomatibus servatur Regum titulus integer, qui *Rex Poloniae, magnus Dux Litvaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae, Kioviae, Volbiniae, Podoliae, Podlachiae, Livoniae, Smolensciae, Severiae, Czernichoviae,* nostra aetate legitur.

(*) P. 668. edit. quae cum Dlugosso Lipsiae prodit.

(**) Dlug. IX. 967.

(***) Sommersb. Scriptor. rer. Siles. T. I. p. 775.

(****) Ludevigii Reliqv. manuscr. T. V. p. 496.

(†) Lasc. Statut. p. 8.

(†*) Lasc. Stat. p. 125.

(†**) Privilegia Ordinum Prussiae p. 20. Iura municipalia terrarum Prussiae.

(†***) Inter Privilegia municipalia terrar. Pruss.

(†****) Lasc. Stat. p. 92.

(‡) Histor. nostra Pruss. Docum. p. 48. 74. &c.

(‡*) Vol. Const. p. 253. §. Rady Koronne p. 226. tit. forma iuramenti. p. 227. tit. Confirmatio.

(‡**) Tit. constit. 1633. & 1638. praemissus.

(‡***) Supra Lib. I. c. XI. §. 5. Constit. a. 1710. p. 38. 50.

§. II.

Quod si Reges Poloniae simul externis regnis & provinciis praesunt, aut in ea ius habent, addunt horum nomina, titulo Polono. Venceslaus & Ludovicus se dixerunt, ille *Bohemiae & Poloniae*, hic *Vngariae & Poloniae Reges* (*); postponentes Poloniam, quod prius Bohemiae & Vngariae, quam Poloniae Reges evaserant. Vladislaus Jagellonides *Poloniae & Vngariae Rex* appellatus, quod iam Poloniae Rex, Vngariae eligebatur (**). Henricus *Andium Borboniorum* &c. Ducem; Stephanus *Transilvaniae* Principem; Sigismundus III. Vladislaus IV. & Ioannes Calimirus, *Svecorum, Gotorum, Vandalorumque Reges*; Augustus II. & Augustus III. *Duces & Electores Saxoniae*, se post polonum titulum nominant. Vladislaus IV. addidit, *electum magnum Moscoviae Ducem*, quod euectus olim ad hanc dignitatem fuerat: quo tamen abstinuit, cum iure suo in Moscoviam pace a. 1634. constituta cederet.

(*) Sommersb, Script. rer. Siles. T. I. p. 943. Lasc. Stat. p. 40.

(**) Lasc. Stat. p. 84.

§. III.

Est Rex Poloniae caeteris Regibus dignitate par. A. 1555. in nuptiis Ducis Meclenburgici, Sverini celebratis, inter Poloniae & Daniae legatum lis erat de priore loco, qui cum Po-

lono assignaretur, id aegre ferens Danus, in suum hospitium abiit (*). Quoties publici congressus habiti, Poloni aequalitatem quae inter Reges obtinet, tueri non omiserunt, ut a. 1698. Malachovius, Posnaniensis Palatinus, de pace cum Turcis ad Caroli vicum constituenda legatus, Moscico oratori cedere nollet, & Caesaris legati qui aderant declararent, neutrum se priorem aut posteriorem, sed utrumque eodem loco habere (**). Nec minus Rex ab exteris *Maiestatis* vocabulo compellatur, praeter Germanorum Caesarem, & Regem Galliae, qui *Serenitatis* nomine utuntur. Cum a. 1669. Episcopus Culmenfis & Regni Procancellarius, *And. Olczovius*, Viennam mitteretur, ad conciliandum Regi, cum Caesaris sorore, Eleonora, matrimonium, inter alia ipsi iniungebatur, ut pro Rege *Maiestatis* titulum a Caesare obtineret, quia illo Galliae & Hispaniae Reges dignaretur. Retulit post suum reditum Procancellarius ad Ordines, non frustra se laborasse, sed *Maiestatis* nomen difficultatibus, quibus adhuc implicatum fuisset, iam esse expeditum (***) . At fefellit *Olczovium* opinio. Caesar antiqui moris tenacior, non destitit in litteris Regem *Serenitatem* appellare (****). Est tamen epistola italica lingua, Leopoldi manu ad Ioannem III. scripta, in qua eum *Vestram Maiestatem* dixit (†). Praeter quod non aliud occurrit exemplum. Interregno post Michaelis mortem, *Andr. Zaluscus*,
ad

ad Galliae Regem legatus, pro Rege Poloniae *Maiestatis* titulum impetrare iubebatur, sed negotium in aliud tempus dilatum, infectum mansit (†*). Caeterum offendit graviter Senatores, cum a. 1689. in litteris fidei quas legatus Gallicus exhibebat, Rex novo more, *Celsissimus & Excellentissimus Princeps* diceretur, ut legatum non admittendum censerent: verum aulae, cui manifestum in Galliam studium, aliud placebat (†**).

(*) Biels. Chr. p. 600.

(**) Zal. Epist. T. II. p. 677. 685. 690.

(***) Zal. T. I. p. 212. 267.

(****) Zal. T. I. p. 1098. 1183. T. II. p. 570. 735. Lunig. publ. negot. sylloge T. I. p. 1184. T. II. p. 339. Eiusd. Litter. Proc. Europae. T. III. p. 208. 240. 336. 626. Dalerac Hist. arc. Pol. T. I. p. 384.

(†) Dalerac T. I. p. 390.

(†*) Zal. T. I. p. 525.

(†**) Zal. T. I. p. 1143.

CAP. VII.

De

Regis aula & milite praetoriano.

§. I. *Regis sedes ubi. Quo tempore Varsaviam translata.* §. II. *Qui dicantur aulici.*

O 4

Eorum

Eorum conditio. Aulicâ munia Sigismundi Augusti tempore. Aulici sint indigenae. Eorum salarium ex Regis thesauro. Fuerunt inter aulicos multi exteri. Nova in eos lex quae certum tamen exterorum numerum permittit. Aulici sint nobiles. Marechalcalis iurisdictio in aulicos. §. III. Sigismundo III. permiffum Svecos habere in aula, sed ad Svecica negotia. Cancellario Saxonica. Ne se immisceat negotiis regni. §. IV. Miles praetorianus quando coeperit. Cromeri & Prilufii testimonia. Praetoriani tempore Stephani in Polonia & Litvania. Olim ex indigenis legi debebant. Eorum numerus. Stipendia unde recipiant. Hodie pro indigenis sunt Saxones. Disciplina. §. V. Praefectus horum militum Tribunus seu Colonellus. Num indigena an extraneus. Iurat Regi & Reipublicae, ac iurisdictioni Marechalcali paret.

§. I.

Olim Regis aula Cracoviae in arce fuit. Sigismundus Augustus & Stephanus saepe Varaviae versabantur. Sigismundus III. exstructa nova arce sedem ibi figebat, cuius exemplum successores secuti. Duae videntur translatae Varaviam aulae fuisse rationes: tum quod situ opportunior, Cracovia a Litvania & Prussia longius remota; tum quod Varavia habent-

habendis comitiis, paulo ante finem Sigismundi Augusti, delecta fuit.

§. II.

Qui in aula mandatis sibi muniis funguntur, aulici vocantur, suntque diversi a ministris Senatorii & equestris ordinis; de quibus suo loco agetur. Referuntur ad aulicos qui perpetuo circa Principem, habentque nomen a cubiculo, redivibus, mensa, cella, stabulo, epistolis, in quorum etiam numero ephebi, ianitores, alii, quos Rex pro lubitu creat, modo plures modo pauciores, & si visum, a procuratore amovet, aut eorum munia cum Regis vita finiunt, nisi a successore probentur. Aulicos Sigismundi Augusti tempore enumerat *Prilufius* (*), secretarios, gladiferum, dapiferos, incisores, pincernas, mensae & culinae magistros, succamerarios, cubicularios, cubiculi custodes, praefectum, vexilliferum, tribunum, equitones, agafones, regii equitatus magistros, pedites ad custodiam corporis expeditos, nominans; additque, esse etiam aliorum officialium & aulicorum cateravam, hosque arbitrio Regis institui ac multiplicari, vel pro ratione loci, temporum & necessitatum, destitui ac minui. Henricus & Sigismundus III. per pacta obstringebantur, non habere aulicos, qui nationis exterae, sed si quos adduxerint, quorum opera in ministerio domestico uterentur, eos solutis de suo sti-

pendiis brevi dimittere (**): & *articuli Henriciani* munia aulica indigenis servant (***)). Vladislaus IV. & successores in suis pactis promiserunt, aulicos ex Polonis, Litvanis & iunctarum provinciarum civibus, secundum antiquam consuetudinem legere, illisque ex suo thesauro, ut moris, salarium solvere (****). Regnante Ioanne Casimiro, frequens inter aulicos Gallorum numerus, quod Regina eiusdem gentis, populares suos fovebat, erantque qui etiam publicis negotiis adhiberentur. Quam ob rem exorbitantiae, interregno post Ioannem Casimirum scriptae, exteros in aula ad sex redigunt, quos negotiis publicis se immiscere vetant, secus a tribunali, poena *criminali* coercendos (†). Sed non carebat regnum Ioannis III. aulicis exteris iisdemque Gallicis, quod eius coniux, ut Ioannis Casimiri, ex Francia venerat. Non tantum indigenae, sed etiam nobiles, aulici esse debent, praeter eos qui inferiora munia curant, ad quae cuiuscunque conditionis, sive nobiles sive plebeii, sive indigenae sive exteri, admitti possunt (†*). Omnibus vero praest Mareschalcus, si aula in Polonia, Regni, si in Litvania, magni huius Ducatus, qui in eos suam exercet iurisdictionem (†**).

(*) Statut. p. 204.

(**) Vol. Const. p. 225. 453.

(***) Vol. Const. p. 255.

(****) In

(***). In pactis conventis §. Dwor stanowi.

(†) Exorbitant. a. 1669. tit. O liczbic.

(†*) Pacta Augusti II. & Augusti III. §. Dwor stanowi.

(†**) Pacta Vladislai IV. Ioannis Casimiri, Michaelis, Ioannis III. §. Dwor stanowi. Augusti II. §. Takze gwardyc.

§. III.

Sigismundo III. qui, cum eligeretur, Princeps Sveciae hereditarius erat, per pacta concessum, si quando patri in regnum successerit, Svecos in aula sua habere, quibus in Svecicis tantum, minime in Poloniae negotiis uteretur (*). Augustus II. simul Saxoniae Dux, & germanici Imperii Elector, a. 1699. lege obtinuit, ut circa se haberet saxoniam cancellariam, non tamen sex virorum numerum excedentem, qui regni consiliis, & negotiis civilibus, militaribus, oeconomicis plane abstinerent, ac sine quibus dignitates, & bona regia conferrentur, cura, ut his attendere, Poloniae & Litvaniae Cancellariis mandata (**). Idem repetit *Traëtatus Varsaviensis a. 1716.* addito, ut nihil negotii cum falsifodinis & teloniis Ministris Saxonis intercedat; utque cum aliis, qui circa Regem, Senatorii ordinis Ministris, utriusque gentis Marschalci sibi commendatum habeant, ne quid contra legem admittatur (***) . Ad huius tractatus

tractatus mentem, ut se cancellaria saxonica componeret, etiam Augustus III, voluit (****).

(*) Vol. Const. p. 453. §. Recipiunt.

(**) Constit. a. 1699. tit. Ubepieczenie, p. 40.

(***) Tractat. Varfav. in Constit. a. 1717. p. 7. 8.
§. Krom tego.

(****) P. C. Augusti III, §. Gwardyc.

§. IV.

Pertinent ad aulam, milites praetoriani, aulica inde militia, & custodes corporis dicti, quod pro Regis securitate, ne corpori iniuria fiat, excubant. *Cromerus*, qui a. 1589. vivere desit, perhibet, fuisse iam olim equites aulicos, equis stipendia merentes, praesidii honorisque causa, Regem comitantes, sed stipatores qui in tutelam circa Principem, recentis esse instituti, hosque maiestatem augere, & praelongis securibus more Germanorum armatos, incedentis Regis latera cingere

(*) . Forſan miles praetorianus coepit initio regni Sigismundi Augusti. *Prilufius* enim qui a. 1553. ſua ſtatuta abſolvit, quemque teſtem §. II. citavi, peditum ad cuſtodiam regii corporis ſemper expeditorum meminit. *Stephanus* regiminis primordio, aulicum equitatum duorum circiter millium inſtituit, ac illi Io. Zborovium, Caſtellanum Gnesnensem, praefecit (**): quo tempore praeter polonum, etiam miles praetorianus litvanus erat, cuius praefectus

ctus Christoph. Radziwilius (***) . Sunt praetoriani & equites & pedites, quos una cum eorum praefecto, pacta Sigismundi III. Regni & Litvaniae indigenas volunt (****) . Pacta Vladislai IV. & sequentium Regum ad Augustum II. simul iunctas Regno & Litvaniae provincias, ex quibus miles & praefectus legendi, expriment (†), quae in Sigismundi III. conventionione, Regni & Litvaniae vocabulis intelligebantur. Numerus horum militum, qui antea incertus erat, a. 1646. mille ducentorum definitur (†*), neque maiorem exorbitantiae a. 1669. pacta Augusti II. & constitutio a. 1699. concedunt (†**). Manet in praesentem diem, idem militum praetorianorum numerus, qui tamen per *Vars. Tract. a. 1716.* non ex indigenis, sed Saxonibus legendus supplendusque, ita ut non augeatur, quo nomine eius praecipuus praefectus, *Colonellus* vulgo, iureiurando obstringitur. Stipendium, ut olim, & hodie ex Regis thesauro solvitur, quod militi sufficere debet, quo com meatum & alia emat: gratis enim aliquid postulare aut extorquere severe vetitum, ut puniendi qui secus fecerint, aut ab inferioribus aut a supremo praefecto, & si hi detrectaverint, a Mareschalcis Regni & Litvaniae, damnum autem pecunia ex militiae huius aerario sarcendum (†***). *Tractatum Vars.* qui haec sancit, pacta Augusti III. s. *Gwardye* & constit. a. 1736. p. 4. probant.

(*) De

- (*) De situ Poloniae p. 512.
- (**) Heidenst. p. 108.
- (***) Heidenst. p. 127. 140.
- (****) Vol. Constit. p. 453. §. Custodiam.
- (†) Pacta conventa §. Dwor Stanowi. Pacta Augusti II. §. Takze gwardye.
- (†*) Constit. 1646. p. 2.
- (†**) Exorbitantiae tit. O gwardye. Pacta Augusti II. §. Takze gwardye. Constitut. a. 1699. p. 40..
- (†***) Constit. a. 1717. p. 8. 9.

§. V.

Quod ad supremum militiae praetorianae praefectum, qui Tribunus, vulgo Colonelus, vocatur, exigebant priores leges, ut esset indigena, verum illo tempore, quo & gregarios & inferiores praefectos indigenas esse oportebat. Sed cum hi per allegatum *Tract. Varsav.* iam omnes Saxones, & de supremo praefecto, cuius ille nationis esse debeat, nihil seorsum praecipitur, Saxonem etiam praeficiendum esse colligimus. Iurat ille Regi & Reipublicae, ac Mareschalcali inrisdictioni subest (*).

- (*) P. C. Vladislai IV. & sequentium Regum §. Dwor Stanowi. Augusti II. §. Takze gwardye. Constit. a. 1717. l. c.

CAP.

CAP. VIII.

De
Ordine aquilae albae.

§. I. Ordo aquilae albae a quo & quando institutus. Eius insigne. §. II. Ordinis caput. A quo & qui novi equites recipiantur. Possunt hi esse indigenae & exteri, Imperantes & privati. Num etiam sacri ordinis. Qui primus ex horum numero. Insigne quomodo hi gestent. Duae Russorum Augustae ordinem illustrarunt. §. III. An praeter hunc, plures eiusmodi equestres in Polonia ordines. Vladislai IV. consilium, quod non successit. §. IV. Reges olim externis ordinibus conspicui. Qui inter eos primus. Vellus aureum sine ulla inde obligatione receptum. Quid Michaeli obiectum. Duo Reges alter S. Michaelis, alter S. Spiritus eques. Reges simul albae aquilae & externorum ordinum equites. Ordo S. Henrici a Rege in Saxonia nuper institutus.

§. I.

Facit ad splendorem aulae, equestris ordo albae aquilae, quem Augustus II. difficillimis temporibus, a. 1705. Ticocini, in fidei tesseram instituit. Insigne est, idem quod regni, alba aquila, a qua ordini nomen, quae expansis alis, corona redimita, ex taenia caerulea

rulea undulata, quatuor circiter digitos lata, a sinistro humero, infra dextrum brachium lumbo tenus dependet. In sinistra pectoris parte, gestant equites stellam auream octangularem, radiis cinctam & acu pictam, in cuius medio crux argentea fere ad formam Melitensis, cum titulo, *pro fide, Rege & lege.*

Descripsit hunc ordinem *Illustriss. I. Frid. Sapiha, magnus Litvan. Cancellarius, in Annotationibus historicis, de origine, antiquitate & excellentia ordinis equitum aquilae albae.*

§. II.

Caput ordinis est Rex, in cuius cruce verba *pro fide, lege, & grege* visuntur. Ipse novos equites creat, praesentibus insignia exhibens, absentibus eadem mittens, quae ad Regem equitibus defunctis, redeunt. Cooptantur indigenae & extranei, nec tantum privati, sed etiam imperantes, suntque in equitum numero Reges, Principes, & Regum Principumque, tum pacis tum belli administri. Contingit pariter is honor viris sacri ordinis, primusque ex illis, hodiernus Cardinalis & Cracoviensis Episcopus, Ioannes Lipscius, eques creatus, cum Regni Procancellarius & nondum Episcopus esset: post hunc plures alii; hoc inter illos & saeculares discrimine, quod insigne non ex sinistro humero, sed ex collo in pectoris

pectoris medio pendet. Nec minus hunc ordinem duae Russorum Augustae, Catharina & Anna, quae illo insignitae, illustrarunt.

§. III.

Est ordo ille in Polonia unicus, ante quem Vladislaus IV. initio regni sui alium voluit inducere, cui nomen ab *immaculata Virgine*, scriptae etiam & a Papa probatae leges (*; sed Regis consilium illo tempore non lucescit,

(*) Sapienza Annot. de ord. equit. aquilae albae p. 125. f.

§. IV.

Quando olim Reges ordinum insignibus conspicui erant, externorum gestabant. Sigismundo I. ante quem non occurrit exemplum, Caesar Carolus V. aureum vellus a. 1525. misit (*), ut tamen liber esset illis legibus, quibus equites privati obstringuntur; quo modo etiam Sigismundo III. eiusque filiis, Vladislao IV. & Ioanni Casimiro, idem insigne collatum (**); quod recusasse Stephanus dicitur (***)). Hoc cum Michael statim post inaugurationem recepisset, ordinis illius legibus etiam iureiurando se subiiciens, magna Regi inde invidia, ut etiam publice a Primate obiurgaretur, defensus a Procancellario, quod liber & non obligatus, ad decessorum exemplum honorem externum admisisset (†). Henricus ex Gallia insigne S. Michaelis attulit, & Ioanni III. aliud, cui a S. Spiritu nomen a. 1676. a Regis Franciae legato apportatum.

tum. Augustus II. elephanti Danici gestabat, antequam aquilae albae ordinem institueret, post quem, aurei velleris accessit; & Augustus III. polonae aquilae, elephantum Danicum, aureum vellus, & Rufficum S. Andreae iunxit. His *indulgentissimus Dominus* a. 1736. quintum addidit, cuius *Ipse* auctor est, haberque a S. Henrico, Caesare, nomen, qui tamen non pro Polono, sed Saxonico ordine est habendus.

(*) Biels. Chr. p. 555. Heidenst. p. 371.

(**) Heidenst. p. 371. Zal. Ep. T. I. p. 265. 322.

(***) Zal. Epist. T. I. p. 185.

(†) Zal. l. c. p. 185. 265. 322. 324.

CAP. IX.

De

Insignibus & sigillis.

- §. I. *Insigne regni describitur. Eius origo.*
 §. II. *Insigne litvanum. Utroque Rex utitur.*
 §. III. *Provinciarum & palatinatum insignia.*
 §. IV. *Sigilla varia & ex his maiestaticum. Qui auctor & unde nomen. Illius usus. Quae hodie illius forma.*
 §. V. *Sigillum regni maius & minus. Viriusque descriptio. Quando Reges illis uti coeperint.*
 §. VI. *Litvaniae sigilla olim tria, iam duo. Quae illorum forma.*
 §. VII.

§. VII. Sigilla regni & Litvaniae servant suae gentis Cancellarii. Sigillum regni minus furto ablatum. Culpatur Procancellarius, quod absens sigillum ad Regem miserit. Vnus aut plures Cancellarii perpetuo sunt circa Regem. Sigismundus Augustus ob Cancellariorum regni absentiam, novum sigillum fabricari iussit, quo usque ad proxima comitia usus. Quid hodie fiat, utroque illius gentis Cancellario absente, cuius sigillum requiritur. §. VIII. In publicis negotiis non nisi regni aut Litvaniae sigillis utendum. Cur Livonia & Curlandia simul regni & magni ducatus sigilla exigant. Enumerantur scripta quibus dicta sigilla imprimenda. Eadem minori quae maiori sigillo auctoritas. §. IX. Mortuo Rege usus sigillorum cessat. Novo Principe, sigilla nova. §. X. Sigillum Regis cubiculare. Eius forma & usus. Servat id camerae notarius. Sigillum privatum. Quibus scriptis imprimatur. Utitur illo etiam Regis soboles. Sigilli privati antiquitas. §. XI. Sigillum cubiculare & privatum in publicis litteris locum non habent. Epistola, qua Papae Cardinalis commendatus, sub privato sigillo, cui Procancellarius contradixit. §. XII. Ioanni III. concessum, ante suam inaugurationem, in publicis litteris sigillo cubiculari uti. Inde peculiare sigillum cubiculare, quod Procancellarius servavit.

§. I.

Insigne regni est, aquila alba corona redimita, capite in dextrum latus verso, ore aperto, lingua prominente, alis pedibusque distentis, in rubro campo. De origine huius signi varias congeffit sententias *Niesiecicus* initio *Coronae Polonae* (*), quarum tamen nulla illis placebit, qui vetera tempora, unde illud arcessitur, norunt. Miror hinc *Piasecium*, magni iudicii virum, insigne a clade Variana repetisse, quasi tunc Polonis, Arminii auxiliariibus, ex praeda Romana aquila obtigerit, ab illis in regni insigne veria (**): in quem errorem aevi istius ignorantia ipsum induxit. De Premislao *Dlugoffus* perhibet, eum a. 1296. caelari iussisse in sigillo aquilam vocibus his circumdatam, *reddidit ipse suis victricia signa Polonis* (***)). Plenius hanc aquilam idem *Dlugoffus* sub a. 1410. describit, quod sit alba, corona redimita, extensis alis & in campo rubro (****).

(*) Korona Polska T. I. p. 1. f.

(**) Piasec. Chron. p. 47.

(***) Dlugoff. VIII. 880. ubi tamen pro *solas suis* legendum, ut habet *Bielscius* Chr. p. 202.

(****) Dlug. XI. 240.

§. II.

Polono insigni, litvanum iungimus, quod est in rubro campo eques cataphractus, dextra manu

manu strictum supra caput enses aut acinaces, sinistra frenum equi albi, quem incitat tenens, sinistro brachio clypeo, in quo crux patriarchalis, munito. Vocatur hoc insigne vulgo *pagonia*, ab insequendo, quod eques ille insequi aliquem videtur. Origo eius non liquet, cum incerta sint quae de illa memorari soleant (*). Possent tamen ex patriarchali cruce colligi, coepisse circa finem decimi quarti saeculi, postquam Litvania Christianam religionem amplexa esset, nisi velis statuere, crucem hanc insigni vetustiori tum accessisse. Primus descripsit *Dlugoffus* a. 1410. ubi enumerat vexilla, quae praelio Tannenbergenfi adversus ordinem Teutonicum interfuerunt, in quibus etiam cubiculariorum regionum vexillum, virum armatum equo candido insidentem gladiumque manu vibrantem, in rubro campo, pro insigni habens: & de Litvanis copiis ibidem legimus, fere omnia eorum vexilla exhibuisse armatum virum, modo albo, modo nigro, modo rubro, modo vario equo insidentem, & manum qua gladium vibrat extendentem, in campo rubro (**). Rex in suo insigni, simul aquila polona & equite litvano utitur, ita ut illud in quatuor campos divisum, primo & quarto aquilam, secundo & tertio equitem repraesentet. Est etiam scutum medium, quatuor illis campis quasi incumbens, pro Regis insigni gentilitio.

(*) Niesic. Kor. Polska T. I. p. 7 - 9.

(**) Dlug. IX. 240. 243.

§. III.

Sunt praeterea provinciis regno & Litvaniae iunctis, imo singulis palatinatibus, sua insignia; quae describere praesentis instituti non est. In exsequiis Casimiri ~~Magnifici~~ regni, undecim regionum insignia (*); & in Vladislai Iagellonis exercitu ante Tannenbergense praelium, plura memorantur (**). Posthunc, Prussia, Masovia, Livonia accesserunt, quibus insignium numerus auctus. Singulorum palatinatum, novissime *Niesicus* in sua *Corona polona* oculis lectorum subiecit.

(*) Anon. Archid. Gnes. p. 104.

(**) Dlug. IX. 240. f.

§. IV.

Videntur Insignia in sigillis, quae varia sunt, maiestatis, regni maius & minus, Litvaniae maius & minus, Regis cubiculare & privatum. De singulis speciatim agendum. Sigillum maiestatis debet suam originem Premislao, regiae dignitatis instauratori, qui sigillum formae grandioris, cui duae facies, fabricari iussit, in una aquilam cum inscriptione, quae §. I. legitur, in altera, Regis diademate redimiti in folio, dextra sceptrum, sinistra pomum seu globum cruce signatum tenentis, imaginem prae-

praeferens, his verbis circumpositis, *Sigillum Przemislai Polonorum Regis & Ducis Pomeraniae* (*). Appellatum maiestatis sigillum, quod Rex insignibus regiis condecoratus, in sua maiestate vilebatur, potuitque hoc nomen facilius indi, quod Polonis solum regium, *maiestat* dicitur. Regis imaginem, qualis in sigillo maiestatis, videtur exhibuisse in suo *Chronico Bielscius* (**), dum effigies Vladislai Loctici, Casimiri M. Ludovici, Vladislai Jagellonis, & Casimiri Jagellonidae sistit. Insertum est maiestaticum sigillum sed una saltem facie, *Illustriss. Sapiehae annotat. de ordine albae aquilae p. 48.* estque si cum *Bielscio* (***) conferatur, imago Vladislai Loctici, nisi quod titulus abest, qui apud *Bielscium* legitur, & in corona crux eminent, quam non habet, quae Vladislai Loctici caput tegit. Fit sigilli maiestatici in diplomatibus & historia mentio (****), neque nostra aetate illius usus cessat, dum regia privilegia eo nonnunquam muniri soleant, cuius rei exemplum in *Epistolis Zaluscanis* (†), Augusto II. regnante, habetur. Vix opus est ut adiiciam, novo Rege novum maiestatis sigillum fieri, quia imaginem Principis regnantis praefert. Augusti III. praepositum *Georg. Pet. Schultzii comment. de Cancellariis Regni Poloniae*, ex quo cognoscitur, unam habere faciem, Regem in solio, insignibus suis condecoratum, signis regni & provinciarum circumpositis, repraesentantem.

(*) Dlug. VIII, 880. Micchov. lib. IV. c. 1. Biell.
Chr. p. 202.

(**) P. 209, 242. 271. 286.

(***) Chron. p. 209.

(****) Ludev. Reliqu. manuscr. T. V. p. 499. 501.
514. Lasc. Stat. f. 52. p. 1. f. 129. p. 2. Dlugof.
IX, 1109. XIII. 459. Sommersb. Script. rer. Siles.
T. I. p. 865.

(†) Zaluf. Ep. T. III. p. 502.

§. V.

Est tamen usus sigilli *maiestatici* rarior, frequentior imo perpetuus, sigillorum maiorum ac minorum. Sigillum regni maius, a magnitudine, quia altero quod minus, maius est, ita dicitur. Incisa illi est aquila polona, in cuius pectore regnantis Regis insigne gentilitium, ut hodie ruta saxonica & enses imperii germanici mareschalcales. Supra scutum quod aquilam continet, corona regia visitur, & insignia Litvaniae, Prussiae aliarumque provinciarum ac palatinatum minore forma ambiunt, circa marginem vero nomen & titulus Regis leguntur. Eadem minoris sigilli facies, ut ex sola magnitudine diversitas fit. Annum quo usus maioris & minoris sigilli coeperit, indicare non licet, id tantum ex diplomatibus intelligitur, quod Vladislaus Locticus & Casimirus M. non unum sed plura sigilla habuerint (*). Si initium ad illud tempus referendum, quo Can-

Cancellarius & Procancellarius fuisse leguntur, maius & minus regni sigillum Vladislao Loctico debentur, quia hoc Rege, primum duos illos Cancellarios invenimus (**).

(*) Sommersb. Script. rer. Siles. T. I. p. 775. 970.

(**) Dlug. IX. 973.

§. VI.

Litvaniae sigilla maius & minus, ut regni, magnitudine differunt. Repraesentant magni huius ducatus insigne, cui mitra ducalis imposita; supra hanc aquila polona in scuto rotundo minore, quod coronam regiam sustinet; circa marginem Regis nomen & titulus; ad utrumque latus armatus, cum scuto in quo insigne Regis gentilitium. Olim, & adhuc post saeculi decimi sexti initium tria sigilla, maiestaticum, magnum, & annulus Ducis signatorius, fuisse dicuntur (*).

(*) Miztolt Histor. domus Sapibanae part. I. p. 76.

§. VII.

Sigilla haec sunt, quaeque penes suae gentis Cancellarios, servantque maiora supremi, minora Procancellarii (*); ea quidem religione, ut aliis haud credant, neque illorum usum nisi se coram concedant (**). Multum turbabatur regni Procancellarius, *Padnievius*, cum a. 1559. ex eius conclavi sigillum fur auferret, quo cum sigillo, quod iam ali-

quantum corruptum, deprehenso, novum fabricabatur (**). Tempore Ioannis III. non caruit nota Procancellarius *Radzeivius*, cum absens sigillum ad Regem mitteret, ut litteris, quibus ad comitia vocandi ordines, imprimeretur (****). Solent Cancellarii, aut unus aut plures, perpetuo in aula versari, Regem iter facientem comitari, ut cum sigillo praesto sint, si eius usus requiratur. Sigismundus Augustus, in Litvania degens, ob absentiam Cancellariorum Polonorum, novum sigillum quadratum fieri iussit, ac Secretario maiori tradidit, illoque in negotiis regni, usque ad proxima comitia usus est (†). Hodie si neuter illius gentis, cuius sigillo opus, praesens est, Regis litterae ad alterutrum absentium mittuntur, ut sigillum imprimat.

(*) Vol. Constit. p. 255. §. Obiccuemy. p. 277.
§. Obiccuemy.

(**) Lubienscii Oper. p. 219.

(***) Bielsc. Chron. p. 608. 609. Neugeb. Histor. rer. Pol. p. 601.

(****) Zal. Epist. T. I. part. II. p. 1101.

(†) Bielsc. Chr. p. 608.

§. VIII.

Henricus suo & successorum nomine promittit, in publicis negotiis, cum intra tum extra regnum, non aliis sigillis, nisi quae penes Poloniae & Litvaniae Cancellarios essent, uti

uti (*). Pro Livonia duo figilla exiguntur, alterum Regni, Litvaniae alterum, ut privilegia & litterae aliae ad Livoniam pertinentes irritae sint, nisi duo figilla praeferant (**). Cuius rei non alia ratio, quam quod Livonia simul Poloniae & Litvaniae provincia facta. Idem intelligendum est de Curlandia, quae antiqua Livoniae portio, eodem, quo Livonia, anno ad regnum accessit, cum antea soli Litvaniae iuncta esset. Quam ob rem Dux Gothardus feudi litteras a Stephano Rege, sub regni & Litvaniae sigillis recepit (***) : quod etiam in successoribus eius servatum. Sigismundus III. arguebatur, quasi publicas litteras sigillo privato signaret, quod a se factum negabat (****), curabatque a. 1607. auctoritatem sigillorum regni & Litvaniae nova lege roborari (†). Deposcunt ergo sibi haec figilla, litterae ad externos in publicis negotiis; rescripta regia ad cives; mandata, citationes & decreta in iudiciis assessorialibus & relationum; privilegia perpetuae auctoritatis; edicta quibus Ordines ad comitia & minores conventus vocantur; constitutiones comitiales; mandata legatorum; responsiones exteris Regis & Reipublicae nomine datae, & alia huius generis: servato discrimine, ut cum provinciis Poloniae, sub polono, cum Litvaniae, sub litvano, cum Livonia & Curlandia, sub polono & litvano sigillis agatur. Quod ad auctoritatem, inter maiora & minora sigilla nullum est discrimen, ut idem
litteris

litteris accedat robur, five maius five minus sigillum impressum.

(*) Vol. Constitut. p. 255. §. Obiecuemy. p. 277. §. eod.

(**) Const. a. 1589. tit. Odprawa listow. tit. Seymiki, Vol. Const. p. 508. 509.

(***) Henning. Chron. Livon. f. 80. p. 2.

(****) Lubiens. Oper. p. 52.

(†) Constit. a. 1607. tit. O niewydawaniu. Vol. Const. p. 840.

§. IX.

Rege mortuo, usus sigillorum regni & magni ducatus cessat, primumque interregno post Sigismundum Augustum fuit constitutum, ut illa usque ad novi Regis imperium quiescerent (*). Frangi illorum simulacra exsequiarum regiarum die, & a Rege post inaugurationem Cancellariis nova dari, supra exposuimus (**); idque aliter fieri nequit, cum in sigillis Principis regnantis nomen legatur.

(*) Heident. p. 17.

(**) C. V. §. 7. 18.

§. X.

Supersunt sigilla, Regis cubiculare & privatum. Illud etiam camerae ac conclavis, Polonis *pieczęć pokojowa* vocatur. Sittit in campis quatuor, polonum & litvanum insigne, ut primum

mum & ultimum polonum, secundum & tertium litvanum impleat. His quatuor campis aliqua ex parte scutum medium, cum insigni gentilitio Regis incumbit. Circa marginem Regis nomen & titulus, & extra illum ambit taenia ordinis albae aquilae. Superiorem sigilli partem corona regia exornat. *V*sus eius obtinet in ordinatione reddituum Regionum, ac aliis quae ad bona oeconomica pertinent, tum in privatis quae ex solius Principis arbitrio pendent, nec successores obligant (*). Custodia eius est penes *secretarium* seu *notarium camerae*, uti vulgo vocatur. Privatum sigillum, Polonis *sygnet* aut *pieczęc sygnetowa*, in hoc a cubiculari differt, quod forma minor, estque hoc Regis sigillum domesticum, quo litteras ad externos, in suis tantum negotiis, & alia scripta eiusdem conditionis signat. Transit hoc, quasi gentilitium, ad Regis sobolem, ac illo Sigismundi III. & Ioannis III. filii usi sunt. Eiusmodi sigillum, praeter publica, antiquis temporibus Reges habuisse, inde constat, quod sub Vladislao Jagellone, *secreti regii notarius* memoratur (**).

(*) Zal. Epist. T. I. p. 670.

(**) Lasc. Stat. f. 127. p. 2. Dlug. XI. 342.

§. XI.

Non habent haec sigilla, cubulare & privatum, in illis scriptis locum, quae §. IV. regni &

& Litvaniae vindicavimus, idque ex citatis ibidem legibus patet. Hinc Sigismundus III, irritum declarat, quicquid in Reipublicae negotiis, sub sigillo cubiculari aut privato prodierit (*). Cuius successores a Vladislao IV. se in usu illorum sigillorum, ad vetera iura in pactis conventis obligarunt (**). Cum vero idem Vladislaus IV. edicta pro militum delectu, cubiculari sigillo signasset, id in posterum non fieri debere, suo & successorum nomine spondit (***)). *Exorbitantiae* a. 1669. firmant quod olim de legitimo horum sigillorum usu sancitum, nominantque simul privilegia & litteras *universales* pro exigendis tributis & lustrandis bonis, quibus illa non imprimenda (****). A. 1674. aegre tulit regni Procancellarius, quod se incio, epistola ad Papam, qua Cardinalatus candidatus commendabatur, privato sigillo obfignata fuerit (†).

(*) *Constitut. a. 1607. tit. O pieczęci. Vol. Constit. p. 837.*

(**) *In P. C. §. Pieczęci.*

(***) *Constitut. a. 1646. p. 2.*

(****) *Exorbitancye tit. O pieczęci.*

(†) *Zal. Ep. T. I. p. 633. 635.*

§ XII.

Plane extra ordinem, Ioanni III. ob longius dilatam inaugurationem indultum, in convocandis ad comitia & conventus minores ordinibus,

bus, exciēda nobilitate ad bellum, nominatione novi Primatis, & quoties ad exteros Principes litteras daret, cubiculari, ad solum autem Molcorum Tzarum, Litvaniae sigillo uti (*). Mansit tamen publicarum harum litterarum cura penes Cancellarios, iussitque Procancellarius peculiare sigillum cubiculare, ab ordinario diversum sculpi, quod ipse servavit, ut Regiis diplomatibus & epistolis imprimere-
tur (**).

(*) Porz. Elek. a. 1674. tit. Oznaymienic.

(**) Zaluf. Ep. T. I. p. 635. vid. Commentar. noster ad P. C. Augusti III, p. 37. 38.

CAP. X.

De

Regis ređitibus.

§. I. *Diversa olim ac hodie regionum ređituum ratio. Quae antiquis temporibus in usu fuerint genera.* §. II. *Sustulit Ludovicus praeter unum omnia. Mansit poradlne. Quantum eius nomine praestandum. A rusticis exactum. Poradlne desinit.* §. III. *Amplissimae olim Principum possessiones ex quibus largi proventus pluribus sufficientes. Minuuntur bona variis modis, in quo Vladislaus Jagellonides nimius. Lex de procuratione*

ratione generali Cracoviensi integra servanda. Principales terrae, in quibus capitaneatus, ne privatis cedant. De Sandomiriensi capitaneatu sigillatim. Qua conditione regia bona alienanda. De eorum pigneratione. Decreti Alexandrini hanc ob rem lati executio. §. IV. Dum redditus sumtibus non sufficerent, contracta debita. Sigismundi Augusti testamentum, quo possessionum suarum sorores scripsit haeredes, irritum. Debita antea contracta ab Henrico solvenda, & ab eodem certa pecuniae summa ex Gallia importanda. Quanti illo tempore redditus ex Fredronis sententia; qui tamen fallitur. Reditus ab Henrico imminuti. §. V. Vnde Regi obveniant redditus, legibus constitutum. Bona mensae regiae seu oeconomiae. §. VI. Szavlensis oeconomia oppignerata. Salisfodinae Cracovienses quae & Vieliczenses ac Bochnenses. Ordinatio earum a Casimiro M. quam Casimirus III. repetiit. Sal nobilitatis trimestris. Lubomiriorum fodina, Cunigunda dicta, Vieliczensibus iuncta. §. VII. Sal in Russia rubra, usibus maioris Poloniae palatinatibus destinatus. §. VIII. Fodinae Olkussienses argenti & plumbi feraces. Illarum antiquae divitiae, quae hodie nullae. Oblata ab Augusto II. & Augusto III. instauratio. Quomodo effici possit. §. IX. Antiqua telonia ad regios re-

reditus pertinent, non nova. §. X. Praefecturae Samboriensis & Sandomiriensis. Vetus lex de Sandomiriensi privatis non conferenda. Collata redditur, & iterum confertur. §. XI. Mariaeburgensis oeconomia quanti momenti. Dirfaviensis & Roggenhusana. §. XII. Magna procuratio Cracoviensis. Unde procuratio dicatur. Quam ampla olim fuerit. Quae eius hodie conditio. Pertinet ad illam praefectura Niepolomicensis. §. XIII. Portorium Elbingense & Gedanense, quod constitutio perperam Pfundzoll vocat. Portorium Rigense, pars olim regionum reddituum, tum ipsa civitate amissum. Elbingensium & Gedanensium pensio cui a ratis nomen. §. XIV. Reditus ex moneta, a Regis aërio ad Reipublicae translati. §. XV. Pecunia pro publicis vecturis, in publicis cursus versa. §. XVI. Non possunt oeconomiae minui, aut infra iustum pretium locari. Poena in illos quibus aliquid ex oeconomis donatum. Quicquid sine Reipublicae consensu privatis concessum, pro irrito habendum. Oeconomis restituendum, quod illis haud legitime detractum. §. XVII. Exempla bonorum oeconomicorum Reipublicae consensu oppigneratorum. Consensus ex constitutionibus cognoscitur. Compensatur quod inde regiis reditibus decedit. §. XVIII. Bona oeconomica a Rege non augenda. Neque eorum

Q

eorum fines proferre licet. *Controversiae de eorum limitibus quomodo dirimendae.* §. XIX. *Quibus bona illa locanda. Arcentur plebei, extranei, & Iudaei. Conducenda pretio quam maximo. Locantur a collegio regionum reddituum. Quale illud collegium. Mortuo Rege, bonorum oeconomicorum cura Thesaurariis mandatur. Delegati tempore interregni, qui statum oeconomicarum inspiciant. Portoria Elbingense & Gedanense, excipiuntur.* §. XX. *Immunes oeconomiae a militaribus exactionibus. Non potest illis pecunia imperari, nisi comitiorum auctoritate.* §. XXI. *Quanti Regis sint annui redditus.* §. XXII. *Rex sibi ac suis bona acquirere non potest. Terrae Zywiecensis exemplum Sigismundi III. tempore. Iohanni III. haereditaria & regia bona, quae privatus habuerat, relicta. Idem bona oeconomica oppignerata, in suum & suorum usum, Reipubl. consensu redemit. Eidem Pucensis praefectura obvenit. Vnde tantas opes cumulaverit. Augusto II. lex concessit, emta ad Varsaviam suburbana, ad haeredes transmittere.*

§. I.

Redituum regionum alia antiquis temporibus, ac hodie, fuit ratio. Exactionum, quae olim in Principum usum, genera Cromerus recenset (*), *poradlne, przewod, powos, stroza, stan, powolove, targowe, krowa, podwody,*

podwody, woiennia, narzas, sep, podworo-
we, opolie, memorando; quae antiquissima
 fuisse, inde colligere licet, quod Vladislaus
 maioris Poloniae Dux, qui a. 1239. mortuus,
 incolis villarum Polnaniensis Episcopatus, *porad-*
ne, podwody, stroza & powos remisit (**).
 Addit alia *Cromerus*, quae Principis commodo
 serviebant, quae repetere aut tributorum illo-
 rum vocabula explicare, supervacaneum duco,
 quod ea omnia dudum abrogata & Regum re-
 ditus se plane aliter habeant.

(*) De Situ Pol. lib. II. p. 503.

(**) Anon. Arch. Gnesn. T. II. Script. Siles. Som-
 mersb. p. 92.

§. II.

Ludovicus enim Vngariae Rex, Casimiri M.
 in Poloniam designatus successor, a. 1355. pro
 se & futuris Regibus spondit, non exactu-
 rum, quae civibus a Calimiro M. aut eius pa-
 tre recens imperata, sed ea tantum, quae an-
 te eos ex antiqua consuetudine praestita, iuris
 regii fuerint, & si per regnum iter facturus,
 in privatorum bona diverterit, alimenta & pa-
 bulum suis sumtibus paraturum (*). Idem
 Ludovicus, iam Poloniae Rex, cum succe-
 dendi ius in regnum, & pro filiabus obtinuis-
 set, a. 1374. incolas in universum omnibus tri-
 butis & operis exsolvit, praeter duos grossos,
 seu vicesimam quartam marcae partem, ex quo-
 libet manso locato aut possesso, singulis annis,

die Martino sacra, in signum supremi dominiæ præstandam (**). Confirmavit hanc ab exactionibus & operis immunitatem Vladislaus Jagello, ut tamen duo illi grossi ex singulis mansis, a rusticis, qui *Kmethones* vulgo, solverentur (***). Hoc tributum, *poradlne* seu agrarium, postea etiam *podymne*, seu fumale dictum (****), desit tempore Sigismundi III. pro Rege exigi, cuius filius & successor Vladislaus IV. illud Regni incolis in perpetuum remisit (†).

(*) Dlug. IX. 1102. 1103.

(**) Lasc. Stat. f. 40. p. 2. Ianuszow. Stat. p. 319. Anon. Archid. Gnesn. p. 112.

(***) Lasc. Stat. f. 51. p. 1. Ianuszow. Stat. p. 323.

(****) Ianusz. p. 322.

(†) Pacta C. Vladislai IV. §. Podymne.

§. III.

Nihil ergo Regi ex antiquis tributis superest: præter quæ, Principes ex suis possessionibus, quas olim habebant amplissimas, redditus recipiebant: cum exceptis privatorum hæreditariis, & ecclesiis assignatis, omnes ad illorum patrimonium pertinerent. Hinc Polonia maior, minor, & Masovia, veteribus limitibus circumscriptæ, quæque suis Dominis, & quidem pluribus sufficiebant, ut pro illorum temporum moribus, suam dignitatem large susten-

sustentarent. Sed possessiones hae sensim donationibus & venditionibus minuebantur, aliarum vero redditus cessabant, cum civibus, vel in usum fructum per omnem vitam concederentur, vel oppignerarentur. In quo modum excessit Vladislaus Jagellonides, ut, si vita eius longior, parum ex redditibus superfuisset (*). Metuebant ergo proceres, recusante regnum Casimiro Jagellonide, ne Malotiviae Dux Boleslaus, cui illud destinabatur, alienata bona regia reposceret (**), & Casimirus persuaderi sibi regnum tandem passus, incusabat a. 1459. aerarii angustias, postulabatque frustra, ut sibi bona regia redderentur, quo necessitatibus opportune subvenire posset (***).

Iam memorati Vladislai Jagellonidae tempore, a. 1440. coepit Regum liberalitas restringi, cum ab illo edito diplomate promissum, bona ad procurationem generalem Cracoviensem pertinentia, integra servatum iri (****). Vladislai huius frater & successor Casimirus, nullas terras *principales*, in quibus *capitaneatus*, oppignerare voluit (†), vetuitque seorsum, praefecturam Sendomiriensem alicui quocunque modo conferri, obtenturum illam publicum hostem declarans (†*). Alexander generatim sanxit, ne bona regia alienentur, nisi in usum Reipublicae, & Senatorum in comitiis consensu, neve alio modo antiquae summae, quibus bona pignerata, augeantur, utque pignerationes sub extenuationis conditione fi-

Q 3

ant,

ant, quo illud, quod ex proventibus annuis usuris supercurreret, in sortis diminutionem computaretur (†**). Cum autem hoc Alexandri Regis statutum minus observaretur, illius exsecutio tempore Sigismundi Augusti decreta fuit (†**): quam ob causam in historia illorum temporum frequens *exsecutionis* mentio occurrit.

(*) Dlug. XII. 773. Biels. Chr. p. 371.

(**) Dlug. XIII. 19.

(***) Dlug. XIII. 249.

(****) Lasc. Stat. f. 84. p. 1.

(†) Lasc. Stat. f. 93. p. 1.

(†*) Lasc. f. 85. p. 2.

(†**) Lasc. Stat. f. 114. p. 2.

(†***) Vol. Constit. p. 16. tit. O Státucie Krolá Alexandrá. p. 39. tit. Alexandrowym.

§. IV.

Imminuto ergo, non una de causa bonorum Regionum numero, proventus ex illis, quae supererant, sumtibus haud sufficiebant, nascebaturque illud incommodum, ut aes alienum conflaretur. Sigismundus Augustus, stirpis virilis Iagellonicae ultimus, possessiones reliquit, quas credebat ad patrimonium suum pertinere, cum illas vel a patre vel matre accepisset, vel ipse acquisivisset, quarumque suas sorores earumque posteros, & post hos regnum & Litvaniam,

vaniam, haeredes instituebat. Sed testamento eius irrito, neque fororibus earumque haeredibus, neque Regibus successoribus obvenirent (*). Contra debita Sigismundo Augusto regnante & ante eum contracta, ut solveret, Henricus post Sigismundum Augustum electus, pactis conventis obligabatur, hoc addito, ut singulis annis ex redditibus suis Gallicis, quadringenta & quinquaginta florenorum millia in Poloniam, publicos in usus eroganda, importaret (**). Quanti autem illo tempore Regis fuerint redditus, vix definire ausim. Apud *Fredronem* quidem, *Konarfcius* legationis Polonae ad Henricum in Galliam princeps, redditus trium fere florenorum millionum praedicat (**); sed aperte nimius est, cum ea aetate florenus unus cum grossis viginti quatuor, nummum aureum Vngaricum aequaret, ac redditus aureorum nummorum millionem cum dimidio excessissent. Forsan tota oratio, in qua ad calculos redditus Regis vocat *Konarfcius*, ingenio *Fredronis* debetur, *Heidensteinio*, qui prior tempore acta Parisiis apud Henricum fidelissime recenset, eam silente. Relinquo in medio redituum summam; quam Henricus, effusius largiendo, paucorum mensium spatio, ad triginta aureorum nummorum millia imminuisse dicitur (****).

(*) Heidenst. p. 4. 5.

(**) Vol. Constit. p. 225. §. promittunt & spondent. §. Consulendo.

(***) Fredro Histor. Populi Poloni sub Henrico Valesio. p. 98.

(****) Heidenst. p. 61.

§. V.

Primis annis, ex quo regimen ingressus Sigismundus III. legibus exprimebatur, unde Regi obvenirent reditus. Praeivit Litvania, quae a. 1589. bona Grodnensia, Szavlensia, Brzestensia, Kobrynensia, Mohiloviensia, & Olitensia cum antiquis teloniis assignavit (*). Sequenti anno Poloni addiderunt in regno salisfodinas Cracovienses & Russiae, fodinas Olkufienses, vectigalia regni Russiae & Plocensia, praefecturas Sandomiriensem & Samboriensem cum bonis Ozimინensibus & Medenicensibus, oeconomiam Mariaeburgensem, magnam procurationem Cracoviensem, terras Roggenhusanana & Dirsaviensem, portoria Gedanense, Elbingense, Rigense, reditus ex moneta, & pecunias pro publicis vecturis praestari solitas (**). His in Livonia, Doerpatensis & alia praefectura adiici debebant, ubi primum possessoribus suis vacuae fuerint (***) : quod tamen factum non est, Livonia bello vexata, & post amissa. Bona & proventus modo enumerati, vocantur *mensae regiae*, *oeconomiae* & *reditus oeconomici*, quod Regis, mensae & omni rei domesticae inserviunt.

(*) Vol.

(*) Vol. Const. p. 530. tit. Ordinatio o prowen-
tách.

(**) Vol. Constit. p. 577. tit. Rationes.stołu.

(***) Vol. Constit. p. 508. tit. Starostwa.

§. VI.

Non erit a tractatione nostra alienum, non-
nulla de his bonis & proventibus sigillatim re-
ferre. Quod ad Litvanas *oeconomias*, ex iis
Szavlenfis, in usum Reipublicae, Ioannis Casi-
miri tempore oppignerata est, & a multis iam
annis redditus mensae regiae non praestat, quod
infra demonstrabitur. Inter Polonas memo-
rantur primo loco, salisfodinae Cracovienses,
quae salem tanta copia largiuntur, ut multis
iam saeculis non solum Poloniae suffecerit, sed
etiam vicinis suppeditari potuerit. Caeditur in
illis sal, & ingentibus frustis, quae *banci* aut
batwani vulgo dicuntur, quadraginta & ultra
centenaria pondere aequantibus, extrahitur,
ut verius *saliscidinae* quam *salisfodinae* appellari
possent. Coquitur etiam ex aqua sal, sed par-
va copia, si cum effosso conferatur. Vocan-
tur fodinae Cracovienses, quia in Cracoviensi
Palatinatu, milliaria aliquot, ab illius no-
minis urbe, ad oppida Wieliczka & Bochnia,
qua ex causa etiam Vielicenses & Bochnienses
nominari solent. Bochnienses fodinae a. 1251.
aut sequenti detectae (*), *zupparum* Vieli-
censium, quo vocabulo Poloni salisfodinas
intelligunt, simul reddituum ex illis iam a. 1237.

Q 5

mentio

mentio occurrit (**). Exstat ordinatio harum salisfodinarum a Casimiro M. in Vislicensi conventu a. 1368. facta, quam Casimirus III. a. 1451. iterum publicavit (***), salisfodinas nobilissimam proventuum partem habens (****); unde constare potest, iam antiquitus & diu ante constitutionem anni 1590. ad Regis reditus pertinuisse. Habent etiam privati, monasteria, & alia sacra collegia, certa annua, tum in pecunia tum sale constituta, alia perpetua, alia in tempus: & perpetua iam in ordinatione Casimiri M. occurrunt, qui sibi servavit facultatem donandi salem, Principibus, nobilibus & monachis, ita ut certo pretio, quasi esset venditum, in suas rationes, a praefecto salisfodinarum referretur (†). Nobilitati sal, certo, legibus definito, & minore quam aliis pretio, in suos tantum usus ad numerum praediorum venditur, quem propinqui, Vieliczka & Bochnia ipsi petunt, longinquioribus subvehitur, ut suis locis, vulgo *cameris*, depositum, intra tres menses recipiant. Vocatur sal ille, Polonis *sol suchedniowa* seu trimestris, ob tres menses modo memoratos; & licet magnum inde Regibus damnum, sumptibus in operas, pretium quod a nobilitate penditur multum excedentibus, Reges tamen a Michaelis tempore in suis pactis promiserunt, nihil in hoc nobilitatis commodis detractum iri (†*). Prope Vielicenses fodinas, est alia, Lubomiriorum quondam, *Cunigunda* dicta, in horum

horum villa Sviercz, quae cum Vieliczenfibus damnum adferret, his auctoritate *commiffionis* a. 1717. decretae iungebatur, ita ut iactura haec, familiae Lubomirianae alio modo compensanda effet: quod futurum, pacta Augusti III. nova fponfione confirmant (†**).

(*) Dlug. VII. 719. Bielsc. p. 176.

(**) Dlug. VI. 658.

(***) Lasc. Stat. f. 76. p. 2. f. Herb. Stat. tit. fal. p. 410.

(****) Lasc. l. c.

(†) Lasc. f. 78. p. 2. f. 80. p. 2. f. 81. p. 1.

(†*) Comment. noſt. ad P. C. Augusti III. p. 92. 93.

(†**) §. Rekompensę. Comment. noſt. ad P. C. Augusti III. p. 94.

§. VII.

Non tantum in Palatinatu Cracoviensi, sed etiam in Ruffia rubra, & quidem in tractibus Przemisliensi & Haliciensi, sal tum foditur tum coquitur. Hinc salis Ruffici, & Brombergae civitatis, ubi in usus Palatinatum Polnaniensis, Califfiensis, Brestensis, Inovroclaviensis, & terrae Dobrinensis deponitur, in legibus passim fit mentio.

§. VIII.

Fodinae Olkuffienses, licet in constitutione ad

ad §. V. citata, etiam *Zuppy* vocentur, sunt tamen diversae a prioribus naturae, cum pro sale plumbum & argentum ferant. Sitae in Palatinatu Cracoviensi, prope oppidum *Olkuffium*, seu *Itkuffium*, a quo fodinis nomen est. Insignes olim ex iis proventus, iunctique soldalitate privati, sumtus in operas conferebant, & lucrum inter se partiebantur, Rege suam portionem gratis, iure supremi dominii, recipiente; cui etiam ante alios, metalla iusto pretio emendi facultas erat. Inde oppidani *Olkuffienses*, qui fodinas curabant, opibus multum augebantur, neque Regi in pecuniam & alios usus argentum desse poterat. Stephani tempore, *Olkuffii* officina memoratur, in qua nummi cudebantur (*). Sed a multis iam annis cessarunt illae divitiae, fodinis per incuriam hominum ruina obstructis, & aqua corruptis: ut ad egestatem iam redacti *Olkuffienses*, & Regis aerario nihil inferatur. Augustus II. cum regni candidatum se profiteretur, inter alia, Reipublicae obtulit studium suum in fodinis instaurandis (**); neque per Ipsum stetit, quo minus opus hoc perficeretur, fossores & alios rei metallicaе gnaros ex sua Saxonia frustra offerentem. Parem curam Filius, **AVGVSTVS III.** in pactis suis promisit (***). Superest ut Ordines Regi se iungant, idque in comitiis constituent, quo fodinae instaurari possint, ut tandem his naturae opibus post longam moram cives fruantur.

(*) Hist.

(*) Hist. noſt. Pruſſ. T. III. p. 355.

(**) Propositiones pactis adiect. §. Zabiegaiaꝛ.

(***) §. Ekonomia. Propoſit. pact. adiect. §. Krufzcow. Comment. noſt. ad eadem pacta p. 95.

§. IX.

Quod ad veſtigialia, quae partem regionum redditum efficiunt, intelliguntur antiquitus exigi ſolita, qualia in uſu fuiſſe iam a. 1237. memorantur (*). Quae recentiori tempore inducta, Reipublicae aerario cedunt.

(*) Dlugoff. VI. 658.

§. X.

Praefectura Samboriensis eſt in Ruſſia rubra, & Sandomiriensis in palatinatu eiusdem nominis, ac a Sandomiria civitate nomen habet. Hanc oppigneratam olim, ſed reſtitutam Caſimirus III. a. 1478. quocunq; modo ad privatos transmitti vetuit (*): & cum nihilominus a Sigismundo I. Caſtellano Cracoviensi, Io. Tarnovio, collata eſſet, contradixit Sigismundo Auguſto regnante nobilitas, obtinuitque ut Tarnovius illa cederet (**). Verum altero poſt anno, Rex eandem praefecturam, dicti Caſtellani Cracoviensis filio contulit (***) .

(*) Laſc. Stat. f. 85. p. 2.

(**) Orichov. Annal. p. 1507. edit. Lipſ. Bielfc. p. 591.

(***) Orichov. I. c.

§. XI.

§. XI.

Mariaeburgensis oeconomia est in Prussia, circa Mariaeburgum civitatem, ubertate agrorum, & vicorum frequentia insignis, ut iam nulla terra regiae mensae illam redditibus aequet. Servavit sibi tractum illum Casimirus III. statim ac bello adversus equites ordinis Teutonici in eius ditionem venit. Dirschaviensis Oeconomia, quae Czczew, & Rogenhufana, quae Rogoczno, in constitutione a. 1590. nominantur, pariter in Prussia sitae, & illa quidem in Pomerellia, haec in Palatinatu Culmensi. Dirschaviensis saepe Mariaeburgensi iungitur, ut ambae sub uno procuratore sint, nonnunquam seorsum singulae singulis locantur.

§. XII.

Magna procuratio Cracoviensis, Polonis *wielkorządy Krakowskie*, omni tempore pars fuit regionum reddituum, quam etiam integram se servaturum, Vladislaus Jagellonides a. 1440. promisit, ut §. III. dictum. Nomen inde habet, quod certorum proventuum bonorumque circa Cracoviam procuratio, in commodum thesauri regii, privato mandabatur, qui inde magnus procurator seu *wielkorządza* appellatus, ac nomine regii procuratoris generalis castri & terrae Cracoviensis, iam a Casimiro M. a. 1356. memoratur (*). Debuit ampla fuisse haec procuratio, cum Vladislaus Jagellonides, bona, possessiones, civitates, castra, oppida,

oppida, villas, molendina, piscinas, lacus referat, ut nomen magnae merito obtinuerit, cuius magnitudinis ne umbra quidem hodie superest. Reditus iam ex tabernis, molis, *acris* in portis urbis Cracoviensis, pendi solitis, & ex decimis lignorum quae Vistula demittuntur, colliguntur, ac singulis annis a conductore, viginti circiter florenorum millia, *bonae*, ut vocamus, *monetae*, Regis thesauro praestantur. Refertur ad hanc procuracionem praefectura Niepolomicensis, ex qua par fere summa redigitur.

(*) Dlugoff. IX. 1107.

§. XIII.

Portoria Gedanense, Elbingense, & Rigense, constitutio minus recte *Funtcol* appellat. *Pfundzoll*, ut Germani germanum vocabulum scribunt, fuit vectigal maritimum, ordinis Teutonici tempore in Prussia exactum, quod per pactum deditiois Casimirus III. plane sustulit. *Pfalgeldum* vocatur exactio e mercibus, quae mari Gedanum & Elbingam importantur, cuius mediam partem Gedanenses, Elbingenses totam Regi repraesentant. Reditus ex portorio Rigensi a. 1620. desiit, quo urbs a Suecis ad deditioem subacta est. Praeter eam, quam ex portorio, etiam aliam pecuniam annuam Elbinga & Gedanum pendunt, quae a *ratis* dicitur, quod pecunia partibus, quae *ratae* vocari solent, praestatur.

§. XIV.

§. XIV.

Reditus ex moneta, Sigismundus III. a. 1632. paulo ante mortem, in Rempublicam transtulit, ut huius aërario, sub successoribus cederent (*). Quod ratum habens filius Vladislaus IV. in pactis suis spondit, neque se neque successores reditus monetales unquam sibi vindicaturos: idemque in pactionibus sequentium Regum repetitum (**).

(*) Constit. a. 1632. tit. Opatrzeńie p. 9.

(**) Comment. nost. ad P. C. Augusti III. p. 97.

§. XV.

Neque pecunia pro publicis vecturis, regionum redituum hodie partem efficit: de qua sciendum, quod ex oppidis & vicis, olim in thesaurum regium inferebatur, pro equis & vehiculis, quae antea gratis concedebantur illis, qui missi ab aula per provincias iter faciebant, imperata autem hac pecunia, certo pretio in oppidis & vicis conducebantur (*); qua ex causa pecunia haec vehicularis, *podwodna*, appellabatur. Cum a. 1620. placeret, cursus publicos instituere (**) ac illi a. 1647. ordinarentur, pecunia vehicularis in illos vertebatur (**).

(*) Vol. Constit. p. 78. f.

(**) Constit. a. 1620. p. 17. tit. Pofzty.

(***) Constit. a. 1647. p. 9. tit. Ordynacya pofzty.

§. XVI.

§. XVI.

Memorata bona & proventus, ullo modo imminui aut infra iustum pretium locari, leges vetant, & privatos, qui ex illis aliquid a Rege obtenturi, eadem poena dignos habent, quae olim in eos decreta, qui Sandomiriensem praefecturam impetrarent, & quam publici hostes, rei Maiestatis & Reipublicae subire solent (*). Remissa fuit a. 1633. illis haec poena, quibus quondam a Sigismundo III. & post hunc, a Vladislao IV. inaugurationis tempore, aliquid concessum, ita tamen, ut ad illorum haeredes haud transfret & poena in posterum locum haberet (**). Interiecto triennio irrita declarabantur, quaecunque Vladislauus IV. post inaugurationis comitia largitus fuerat (***), & a. 1638. iussi, nisi poenas dare vellent, possessione cedere, & litteras regias reddere, quibus aliquid vel gratis collatum, vel minori pretio locatum (****). Michael in suis pactis irrita declarat privilegia a Ioanne Casimiro in damnum mensae regiae sine Reipublicae consensu concessa, & talia a se haud concessum iri spondet, eumque infamem & carcere per medium annum coercendum pronuntiat, qui eiusmodi privilegium impetraturus esset (†). In eandem sententiam in suis pactis (†*), Michaelis successores loquuntur, promissisque Augustus III. non se passurum, ut, *oeconomiae* per avulsa haud legitima minuantur (†**). Quam ob causam, Augustus II.

R

iam

iam a. 1717. recuperatores constituerat, qui quicquid mensae regiae contra iura & mentem pactorum conventorum detractum, ad corpus *oeconomicum* reducerent, privilegiis tamen, quae legitime collata, salvis (†***).

(*) Vol. Constit. p. 577. tit. Rationes.

(**) Constit. a. 1633. p. 31. tit. Ekonomie.

(***) Constit. a. 1635. p. 6. tit. O dobrach.

(****) Const. a. 1638. p. 3. tit. O ekonomiačb.

(†) Pacta Michaelis §. Ekonomii.

(†*) P. C. Ioannis III. §. Ekonomii. P. C. Augusti II. §. A tymi Ekonomiami.

(†**) P. C. Augusti III. §. Temiž Ekonomiami.

(†***) Constit. a. 1717. p. 64. tit. Redintegracya.

§. XVII.

Possunt enim bona mensae regiae, consensu Ordinum in privatos conferri, & tum privilegia, quibus conferuntur, legitima habentur; id quod statuto Alexandri §. III. citato nititur. Hoc modo salisfodinae Vielczenfes Caesari (*); Bervaldenfis (***) & Tügenhofiensis (***) seu Nowodworenfis ager, veteres Mariaeburgensis oeconomiae portiones, & tota oeconomia Szavlensis (****) in Lituania, privatis in pignus concessae; bona quaedam ex Brestensi oeconomia Paulo Teterae, Cosacico ductori, & ex Mohiloviensi aliis Cosacis

cis, dum viverent, donata fuerunt (†). Ioannes III. villulas *Krynki* & *Nowosiolki*, in oeconomia Brestensi, duobus nobilibus ex Podolia ab hostibus pulsus contulit, qui de possessione per pacta conventa Augusti II. securi redduntur, donec sua bona in Podolia receperint (†*). Ut autem de Ordinum consensu constet, quicquid ex bonis oeconomicis detrahitur, debet in constitutionibus recenseri, quod memorata modo exempla confirmant: Regi vero iactura, quam inde in redditibus sentit, ex Reipublicae aerario compensatur. Oppignurato agro Tügenhofiensi, iniunctum Thesaurario Regni, singulis annis Regi viginti florenorum millia solvere, & pro Szavlensi oeconomia, quatuordecim florenorum millia ex Litvaniae proventibus decreta (†**). Facta etiam Regi potestas, ex bonis regiis, quod primum vacuum fuerit, modo non sit praefectura cum iurisdictione, quodque redditibus Tügenhofiensem agrum aequet, pro eodem agro, mensae suae iungendi, donec ager ille a Republica redemptus fuerit, cessante tum ex Regni thesauro pensione (†***). Cuius legis auctoritate, Augustus II. praefecturam Koziencensem oeconomis adiecit, & thesauro regni constituta summa remissa est (†****). Qui ergo consensu Ordinum, bona olim mensae Regiae possident, illis exui nequeunt, sed pro legitimis possessoribus habentur (†).

- (*) **Constit. a. 1661. p. 9. tit. Eliberacya Zup.**
- (**) **Const. a. 1673. p. 27. tit. Kommissya Berwaldska.**
- (***) **Constit. a. 1654. p. 7. tit. Zastawa Ekonomii Nawodworskiej. Constit. 1678. p. 15. tit. Konsens.**
- (****) **Const. Litvanac a. 1661. p. 9. tit. Zastawa Ekonom. Szawel. Constit. Litv. a. 1678. p. 6. tit. Wykupno.**
- (†) **Constit. Litvanac a. 1659. p. 12. tit. Approbacya przywilciu, & tit. Approbacya przywilciow.**
- (†*) **P. C. Augusti II. §. Krynki.**
- (†**) **Constit. a. 1654. p. 7. tit. Zastawa. Const. Litvanac a. 1661. p. 9. tit. Zastawa.**
- (†***) **Constit. a. 1661. p. 8. tit. Deklaracya.**
- (†****) **Constitut. a. 1710. p. 66. tit. Skarb Koronny.**
- (‡) **P. C. Augusti III. §. Donataryuszow. & Comment. nost. in eadem P. C. p. 75.**

§. XVIII.

Vt in minuendis, ita in augendis bonis *oeconomicis*, leges Regis potestatem circumscribunt, promissitque Sigismundus III. possessiones numero *oeconomiarum* eximere, quas sua auctoritate adiecisset (*). Post illum, Reges a Vladislao IV. per pacta sua (**) se obstrinxerunt, bona mensurae suae, sine Ordinum
con-

consensu non augere: quod in constit. a. 1633. (***) repetitur, & reus peculatus habetur, qui bona oeconomis haud legitime iuncta conduxerit, aut administraverit. Quod autem ad veteres oeconomias, illarum fines in civium iniuriam per vim proferre vetitum, controversiis, si quae intercedunt, decreto recuperatorum dirimendis (****).

(*) Vol. Const. p. 834. tit. O Ekonomíách.

(**) §. Ekonomii.

(***) P. 31. tit. Ekonomic.

(****) P. C. Augusti II. & Augusti III. §. Ekonomii.

§. XIX.

Bona & proventus ad Regis mensam pertinentes, privatis locantur, sed nobilibus indigenis & quibus possessiones sunt. Lex a. 1638. de nobilibus Polonis loquitur (*); pacta Michaelis & sequentium Regum non tantum homines equestris ordinis, sed etiam possessiones habentes, exigunt, irritum cum plebeiis & extraneis contractu, & duorum millium marcarum in eos poena. Neque omittendum, Polonas Polonis, Litvanas Litvanis, & Prussiae oeconomias, Prussis locandas esse (**). Iudaei in Augusti II. & Augusti III. pactis nominatim arcentur, secus eidem, cui plebeiis, poenae obnoxii (***). Quod ad pretium, curandum ut quam maximo conducantur (****),
R 3
fiuntque

fiuntque conventiones in annos aliquot, cum collegio, quod a Regis est redditibus, *cameram* vocant; neque exempla priorum temporum desunt, lege publica probatas fuisse (†). Collegium illud a Rege Augusto II. institutum ordinatumque *Naraviae* in arce regia habetur, cui Praeses Senatorii ordinis, Propraeses curiae Thesaurarius & assessores, singulis a Rege ex suis proventibus salario constituto, Attendit bonis & redditibus mensae Regiae, ac de iis quae ad ea pertinent cognoscit. Auctoritas tamen eius cum vita Regis definit, quo mortuo, oeconomiae Regni & *Litvaniae* Thesaurarius mandatur, qui redditus in suas rationes Ordinibus exhibendas referunt (†*): praeter portorium *Elbingense* & *Gedanense*, ex quibus proventus ipsae illae civitates futuro Regi servant (†**). Solent etiam interregni tempore ex Senatu & nobilitate legi, qui statum oeconomiarum inspiciant, & de illo ad Ordines referant (†***); *Elbingensi* & *Gedanensi* portoriis exceptis, quae non ad Ordinum, sed defuncto Rege ad illarum civitatum curam pertinent.

(*) *Constit. a. 1638. tit. O ekonomiach p. 4.*

(**) *P. C. Michaelis & Ioannis III. §. Cudzoziemcow ani. §. Ekonomii. P. C. Augusti II. §. Dobr naszych. §. A tymi Ekonomiami. P. C. Augusti III. §. Dobr naszych. §. Temiz Ekonomiami.*

(***) *§. Dobr naszych.*

(****)

(****) Const. 1638. p. 4. tit. O Ekonomiach. Const. 1670. p. 25. tit. O Ekonomii.

(†) Constit. a. 1661. p. 22. tit. Ekonomia Mał-
borska. Constit. a. 1667. p. 16. tit. Ekonomie
Pruskie.

(f*) Konf. gener. a. 1587. §. Prowenty. §. Skar-
by. a. 1632. §. strzegac. a. 1648. 1668. 1674. §.
Prowenta. a. 1733. §. Poniewaz.

(†**) Histor. nost. Pruss. T. VII. p. 14. 15. Doc.
p. 18.

(†***) Konf. gener. a. 1632. 1648. §. Iż. a. 1668.
1674. 1696. §. Siła. a. 1733. §. Zuppy. a. 1668.
1674. §. W dalszy a. 1696. §. Chcąc. a. 1733.
§. Więc.

§. XX.

Caeterum habent hoc ius bona oeconomica,
quod sint ab exactionibus, transitibus, statio-
nibus & aliis oneribus militaribus, tum iis quae
in suos usus singuli Palatinatus & tractus san-
ciunt, immunia, & ex solis comitorum sci-
tis obligentur. Quam in rem plurimae leges
scriptae: ex quibus constitutiones a. 1673. 1703.
& 1717. allegasse in praesens sufficiat. (*)

(*) Constitui. 1673. p. 18. tit. Ekonomie. 1703.
p. 18. tit. Konserwacya dobr. 1717. p. 64. tit.
Redintegacya dobr.

§. XXI.

Haecenus de redivibus qui Regis aulae infer-
viunt.

viunt. Reipublicae sumptus Ordines aliunde provident, ac de illis suo loco agetur. Quam vero summam Regi singuli anni praestent, leges silent, vix tamen integrum millionem florenorum *monetae bonae* seu Prussicae aequabit, quam etiam calus, quibus proventus obnoxii sunt, incertam reddunt, ut modo maior, modo minor, aerario inferatur. Num ea splendori Regio pro saeculi moribus sufficiat, facile defini potest. Aegre sustinebat dignitatem suam Michael, cui ex solis bonis *oecotomicis* redditus erant.

§. XXII.

Regem hos suos redditus novis oeconomis augere non posse, §. XVIII. dictum, quibus etiam alio modo amplificare, leges vetant. Est quidem bonorum regionum largitor, sed ea suis usibus servare nequit, cum quae vacua fuerint, extra comitia, spatio sex hebdomadam, & in comitiis sine mora conferenda, ut infra docebimus: & quorum fructus exiguo hoc intervallo, non Regis sed Reipublicae aerario obveniunt. Neque ei permittitur privatorum possessiones emtione aut quovis alio titulo acquirere, ut iure hereditario ad sobolem aut cognatos transmittat. Quare vendi debebat privatis terra Zyvicensis, quam Sigismundi III. altera coniux sexcentis florenorum millibus emerat (*), lege etiam lata, ne bona nobilium, si-
ve donatione, si-ve emtione, si-ve pignoris aut
alio

alio quovis iure acquirantur, nisi ab illis qui civibus Regni conditione pares sint, & ut ea quae Regi dono, caduco, pignore, obvenierint, nobilibus indigenis conferantur (**). Ad hanc Republicae mentem Augustus II. & Augustus III. suo & successorum nomine in pactis promiserunt, nulla bona haereditaria comparare (***) . Ioanni III. non tantum haereditaria, quae privatus habuerat, sed etiam regia, quae ipsi & uxori iure communicativo collata fuerant, relinquebantur, ut haec uterque ad mortem usque teneret (****). Imo permisit Republica, ut oeconomica bona oppignerata redimeret, ab haeredibus possidenda, donec pecunia redderetur (†). Eidem Gedanum praefectura Pucensi cessit, quam civitas iure pignoris tenuerat, quamque Rex eodem modo possessam ad sobolem suam transmissit. Inde, ut alias fileamus causas, Ioanni III. longe ampliores quam prioribus Regibus redditus contigerunt, potuitque opes suis relinque- re, quantas ante eum nullus in Polonia Rex cumulaverat, quibus etiam dum viveret apud exteros celebrabatur. Augusto II. a. 1726. constitutione fuit concessum, emta ad Varsaviam suburbana legitime possidere, & ad successores ex suo sanguine transmittere (†*).

(*) Piasc. Chr. p. 421. Const. a. 1631. p. 3. tit. O dobrách Zywieck.

(**) Const. a. 1631. p. 3. tit. O dobrách Ziemsck. Vol. Const. p. 280. tit. O dobrách.

(***) P. C. Augusti II. §. I. in fine. P. C. Augusti III. §. Dobr. zadnych.

(****) P. C. Ioannis III. §. Waruicmy. Constit. a. 1676. p. 24. tit. Starostwa.

(†) Const. a. 1678. p. 15. tit. Consens. Const. Litv. eiusd. a. p. 6. tit. Wykupno.

(†*) Const. a. 1726. p. 59. tit. Páfac.

CAP. XI.

De

Iure regio in conferendis dignitatibus & bonis.

§. I. *Rex dignitates & bona largitur. Dignitatum varia genera. Quae intelligantur bona. §. II. Dignitates integrae servandae. Nihil in iis, nisi Ordinum consensu mutandum. §. III. Dignitates & bona ne vacua maneant. Quo spatio extra comitia conferenda. Quando in comitiis. Licet nuntiis Regem, ut conferat, monere. Collata a Cancellariis recitanda. Lex de Cancellariis in comitiis creandis. Exempla extra comitia creatorum. Quid confederatio a. 1733. Regi permiserit. Quomodo novi Cancellarii a. 1735. declarati. Lex de praefecturis exercituum in comitiis conferendis & publicum ex illa incommodam.*
Abro-

Abrogata lex, & Regi antiquum ius restitutum. Novi supremi & minores exercituum praefecti a. 1735. §. IV. Num Rex extra regnum agens dignitates & bona largiri queat. Quid de sacris & militaribus muniis statuendum. §. V. Qui dignitatum & bonorum candidati esse possint, quidque leges diversorum temporum exigant. §. VI. Nobilitas candidatorum, quae explicatur. Polonum vocabulum Ziemiania. Nobiles novi. Nobiles urbani. Ad dignitates evecti qui non nati nobiles. Urbanis bona regia collata. Maiorum in Prussia civitatum melior conditio quam Poloniarum. §. VII. Qui sint indigenae. Novi indigenae interdum veteribus pares. Ampliores hodie indigenatus limites ac olim. Indigenatus Prussiae. Lis num Poloni in Litvania, & Litvani in Polonia pro indigenis habendi. Prussiae indigenatus legibus firmatur. Vbi impetrari possit. Quid de Livonia praecipiant leges. §. VIII. Dignitatum saecularium & bonorum regionum candidati habeant possessiones. Quales illae & ubi sitae esse debeant. In Livonia post dignitatem possessiones comparari possunt. Ecclesiasticarum dignitatum candidati sine possessionibus. §. IX. Conferendae dignitates & bona regia illis qui non supra conditionem nobilitum. Sigismundi III. filii dignitates & bona regia obtinuerunt, a quibus Regi & Rei-

Reipublicae iuratum. Quomodo Principes regii ad nobilium conditionem descendant. Cur Ioannis III. filiis neque dignitates neque bona regia concessa. §. X. Merita candidatorum. Dignitates & bona regia ne donis aut promissionibus acquirantur. Priuatum iusiurandum & submissiones candidatorum Ioannis Casimiri tempore. Quae novus Rex pro opera sibi in electione nauanda promiserit, irrita habenda. §. XI. Candidatorum iusta aetas & ingenium. §. XII. Ut sint Romanocatholici noua lex exigit. Quid antea obtinuerit. §. XIII. Rex non potest conferre nisi quod vere vacuum. Expectationes in vacatura & diplomata regia cum vacuis spatiis vetantur. Cessiones dignitatum aliis factae. Ne unum vacans duobus conferatur. Quid ea de causa Cancellariis mandatum. Quae munia in uno iungi nequeant. Exercituum Duces ne sint simul Ministri senatorii ordinis. Plura, quae vocantur, incompatibilia. Ne ultra unum, ex potioribus pacis belli ministeriis, uni familiae obueniant. Contraria priorum temporum exempla. §. XIV. Archiepiscopi & Episcopi olim a suis Capitulis eligebantur. Quae Principis in hac electione partes. Papae querela Episcopos in Episcopatus alios sola Principis voluntate transferri. Ludovicus Rex alios, quam electi, Episcopos nominat & in vacaturos Episcopatus expectationes

ziones largitur. Vladislaus Jagello modo Episcopos declarat, modo eligendos commendat. Papae hanc ob rem expostulatio, qui negat nominationem Episcoporum esse iuris regii. Casimirus III. impetrat a Papa consensum, ut certum numerum dignitatum ecclesiasticarum sua nominatione conferre possit, cum perpetuam nominandi facultatem frustra rogasset. §. XV. Idem Casimirus III. liberiore iure usus. Lis illo regnante de novo Cracoviensi Episcopo. Alia controversia de Varmiensi Praesule. Ius eligendi Episcopum suum quo modo Varmiensi Capitulo assertum. Regis in electione Episcopi Varmiensis auctoritas. Episcopi Varmienses qui non de gremio Capituli. Papae venia, sine exemplo in posteros. §. XVI. Ius regium nominandi Episcopos, esse ex privilegio Apostolico, Papa declarat. Nominati a Papa confirmandi. Quantum valeat confirmatio. Nominationes irritae, quod confirmationem negavit Papa. §. XVII. Ius patronatus regium quod legibus firmatur. Regum cura ut illud integrum servetur. §. XVIII. Quae olim Regum in Abbatibus creandis auctoritas. Reges novos Abbates designabant. Controversia de iure regio in nominandis Abbatibus, quae in curia Romana agitur. Compositio frustra tentata. Regium ius legibus asseritur. Finis controversiae, certo Abbatiarum numero

mero Regi permissio, quas in commendam
 conferat. §. XIX. Ante compositionem
 electio Olivensis & Pelplinensis Abbatum fir-
 mata. §. XX. Abbates sint indigenae &
 nobiles. Habeant aetatem iustam & meri-
 ta. Eorum Coadiutores ne annis minores.
 §. XXI. Praepositurae & alia munia sacra
 quales sibi deposcant candidatos. §. XXII.
 Capitaneus Samogitiae & Palatini Polocen-
 sis ac Vitebscensis a sua nobilitate eligitur,
 & electos Rex probat. De candida-
 tis minorum dignitatum Regi a nobilitate
 oblatis. §. XXIII. Ius regium com-
 mendandi Papae Cardinalatus candidatum.
 Primus in Polonia Cardinalis a Rege non
 commendatus. Lex ne dignitas haec Rege
 & Senatoribus insciis impetretur. Primus
 qui a Rege commendatus, extraneus fuit.
 Tres Cardinales Regis causa creati. Regis
 commendatio neglecta, quod aegre latum.
 Exteri commendati, & duo Poloni non com-
 mendati, Cardinales creantur. Regis socer
 Cardinalis ex generi commendatione. Car-
 dinali extraneo pileus a Rege publice impo-
 situs. Regium ius commendandi Cardinala-
 tus candidatum in pactis conventis firma-
 tum. Episcopus Cracoviensis Cardinalis ex
 Regis manu pileum recepit. §. XXIV.
 Protector Poloniae in Papae aula. Expo-
 stulatio cum illo, quod tum Lusitaniae,
 tum gentilitia sua, Polonis insignibus prae-
 posue-

posuerit. §. XXV. *Vacuae dignitates & bona, interregni tempore conferri nequeunt. Declaratus illo spatio a Prussis Culmensis Episcopus repulsam tulit, alio a novo Rege nominato. Palatinus Russiae & Castellanus Lublinensis, a nobilitate interregno creati, a novo Rege probantur. Dignitates a Prussis collatae, iterum irritae.*

§. XXVI. *Bona regia quare ita dicantur. Ad Regum patrimonium olim pertinuisse ostenditur. Locata ea privatis, aut administranda concessa. Hodie nullus ex iis ad Regem fructus. Bona regia bene merentium & bene meritorum panis. Eorum Index.*

§. XXVII. *Capitaneatus qui Polonis stárostwa. Qui ex illis cum iurisdictione. Unde nomen. Numerus illorum.*

§. XXVIII. *Capitaneatus sine iurisdictione qui dicantur. Qui boni proventus.*

§. XXIX. *Tenutarum nomen. Num tenuarum olim qui capitaneatus sine iurisdictione. Distinctio tenutarum ex redditibus.*

§. XXX. *Advocatae unde ortae. Numerus earum imminutus. Quae supersunt servandae. Non conferendae illius tractus, in quo sitae, Capitaneis.*

§. XXXI. *Palatini & Castellani ne sint in suo palatinatu Capitanei cum iurisdictione, Palatino & Castellano Cracoviensi exceptis. Capitaneus cum iurisdictione ne habeat in eadem terra minorem dignitatem. Diversa in his Litvania a Polonia.*

Polonia. In Prussia Palatini in suo Palatinatu simul Capitanei cum iurisdictione. In Polonia Palatini & Castellani extra suum palatinatum, capitaneatus cum iurisdictione; intra illum, sine iurisdictione capitaneatus, tenutas & advocatias recte tenent. §. XXXII. Milites per vices cum togatis ad bona regia admitti volunt. Mensium militarium origo, & qui illi. Illorum ratio habenda. §. XXXIII. Advocatiae militibus largiendae. Decem advocatiae illis, quorum opera Rex in domesticis negotiis usus, servantur. Tenutae solis nobilibus cedant. §. XXXIV. Singulis singuli capitaneatus cum iurisdictione, non plures, dentur. Qui duos capitaneatus cum iurisdictione habuit, in ius vocatus. Non potest alter eiusmodi capitaneatus addi, etiamsi unus dignitati palatinali iunctus. Licitum tamen capitaneatus sine iurisdictione, tenutas & advocatias adiacere. §. XXXV. Ultra duos capitaneatus sine iurisdictione, aut tenutas quibus ampliores redditus, uni ne dentur. §. XXXVI. Bona regia ad uxorem & liberos, Regis consensu transmitti possunt. Ius communicativum seu advitalitas. Ius communicativum non habet locum in capitaneatibus cum iurisdictione & limitaneis. Ne duos capitaneatus sine iurisdictione aut tenutas excedat. §. XXXVII. Filii & filiae in bona regia,

regia, consensu Regis succedere possunt. Quid a filiis exigatur, si velint succedere in capitaneatus quibus iurisdictio est. §.

XXXVIII. Si bona regia iure haereditario, aut emphyteutico, aut pignoris loco concedenda, Ordinum consensu opus. §.

XXXIX. Rex dignitates & bona non auferit, sed delictis, lato in reos decreto, amittuntur. Exempla eorum qui dignitatibus & bonis regis multati. Capitaneatus Ioannis Casimiri tempore solo Regis arbitrio adempti, quod Ordinibus displicuit. §.

LX. Licet Regis consensu se dignitate abdicare; id quod exemplis docetur. Eodem Regis consensu bona regia in alios transferuntur.

§. I.

Ordo tractandorum ad iura, quae Rex solus exercet, deducit, in quibus praecipuum est, quod in conferendis dignitatibus & bonis, quibus regiorum nomen est, versatur, quodque *Præsecius* (*) recte auctoritatis regiae nervum appellavit. Dignitates non sunt unius generis, sed vel sacrae, vel saeculares; harum aliae togatae, aliae militares; omnes autem in Senatorii & equestris ordinis dividuntur. De singulis libro tertio agetur. Bona regia sunt capitaneatus, tenutae & advocatae; quae praesenti capite explicabo.

(*) Chron. p. 50.

§. II.

De modo dignitates & bona regia conferendi, leges multa praecipiunt, quorum in iure publico non postrema habenda ratio. Primum, in dignitatibus nihil mutandum, sed status illarum, cuiuscunque generis fuerint, integer servandus, ut neque potestati neque proventibus illarum aliquid subtrahatur, aut in veterum iniuriam novae instituantur. Exstant hanc in rem leges a Ludovici tempore (*), quas exorbitantiae a. 1669. (**), illustrant, & Vladislaus IV. eiusque successores in suis pactis confirmant (***). Si quid ergo novandum, Ordinum consensus exigitur.

(*) Lasco Stat. f. 41. p. 1. f. 50. p. 1. Vol. Constat. p. 4. §. Dostoieństw. p. 255. §. Urzędy. p. 277. §. Urzędy.

(**) Tit. O urzędách, tit. O cásłości.

(***) P. C. Vladislai IV. & Ioannis Casimiri. §. Urzędy. Michaelis, Ioannis III. Augusti II. Augusti III. §. Dygnitarstwa. Add. Comment. nost. in P. C. Augusti III. p. 31. 32.

§. III.

Neque dignitates & bona regia vacua relinquuntur, sed debent conferri. Vacuis Casimiri III. tempore, iam per biennium praecipuis magistratibus, id ante omnia in comitiis Petricoviensibus a. 1472. agendum sibi credebant Senatores, ut Regem, quo illos conferret, permove-

moverent (*). Possunt conferri, tum extra comitia, tum comitiorum tempore: certo extra comitia definito spatio, olim sex mensium, (**), iam totidem hebdomadam, (***) ex quo vacare Rex sciverit. Quod si ante huius intervalli finem comitia inciderint, negotium hoc in illis ante alia omnia conficiendum (****); concessa etiam ordini equestri urgendi illud facultate, ut ad sua consilia accedere non obligetur, nisi obtinuerit (†): quam postulationem ad Regem post Senatus consultorum lectionem deferre ipsi concessum est (†*). Ut autem constet, quibus vacuae dignitates & bona obvenerint, recitantur illorum nomina coram Ordinibus, a Cancellario (†**), a Polono quibus Polona, a Litvano quibus Litvana contigerunt. Quod ad ipsos Cancellarios attinet, notandum, velle vetus statutum Alexandri, ut non nisi in comitiis creentur (†***); quod ita usu servatum, ut nihilominus interdum extra comitia, novi Cancellarii declararentur, memorabunturque exempla, quando de Cancellariis seorsum agetur. *Confoederatio* a. 1733. futuro Regi semel tantum concedit, etiam post comitia novos constituere regni Cancellarios, si id in primis comitiis fieri nequeat (†****): acciditque, ut a. 1735. comitiis ne quidem ad electionem Mareschalci succedentibus, sed tempore, quod illis destinatum, frustra absumto, ambo regni & magnus Litvaniae Cancellarius, Senatu & nobilitate praesentibus, publice

renuntiarentur. De exercituum praefecturis, supremis & minoribus, non nisi in comitiis conferendis, in *Varsaviensi tractatu* a. 1716. lex scribebatur (‡). Verum cum praefecturis his & in regno & in Litvania vacuis, diversae competitorum partes comitia turbarent, ut ultimis Augusti II. annis nulla succederent, citata confoederatio a. 1733. eodem §. sanxit, ut praefecturae illae, nisi proximis comitiis, interveniente aliquo impedimento, conferri possent, ad ius maiestaticum futuri Regis redirent. Altera eiusdem anni confoederatio, quae electo Augusto III. pro eius maiestate instituta, voluit, ut *Tractatus Varsaviensis* nulla ratione habita, praefecturae in posterum sex hebdomadam spatio, ex quo vacuae factae, conferrentur. Hinc a. 1735. post Cancellarios, etiam exercituum maiores & minores Praefecti creabantur, & sequenti anno, nova lege (‡*) Regi antiquum ius reddebatur, etiam extra comitia praefecturas illas conferendi, ne, si vacuae essent, successus comitorum difficilior redderetur.

(*) Dlug. XIII. 484. 485.

(**) Vol. Constit. p. 468. tit. O Wakányách.

(***) Pacta C. Vladislai IV. & sequentium Regum §. Wakánye.

(****) P. C. Vladislai IV. & Success. §. Wakánye.

(†) Vol. Const. p. 468. tit. O Wakányách. p. 833. tit. O. Wakányách.

(†)

- (†) **Const. a. 1690. tit. Obieásnienie. p. 2.**
- (†**) **P. C. Vladislai IV. & Success. §. Wakáncye.**
- (†***) **Lasco Stat. f. 113. p. 2.**
- (†****) **Konfeder. a. 1733. §. Obiásniaiac.**
- (‡) **Artic. V. Const. a. 1717. p. 31.**
- (‡*) **Const. a. 1736. p. 5. tit. acta interregni.**

§. IV.

Non confert Rex dignitates & bona sua, quando extra Poloniam agit (*), nisi sacra aut militaria munia fuerint (**), reliqua enim a candidatis expectanda sunt, donec in Regnum redierit. Qua ex causa, Augustus II. & Augustus III. quoties rerum Saxonicarum cura, longiorem in Polonia moram haud concederet, Fraustadium, aut in alium prope fines locum, venerunt, ut cum caetera providerent, tum dignitates & regia bona, quae vacabant, illis, quibus per leges fas est, largirentur.

- (*) **Tract. Varf. a. 1716. in Constit. a. 1717. p. 10. §. Niemaicy.**
- (**) **P. C. Augusti III. §. Aponieważ państwo.**

§. V.

Non enim promiscue omnibus, ad dignitates & bona regia patet aditus, sed nobilibus, indigenis, possessiones habentibus, conditione aliis aequalibus, bene meritis, iustae aetatis & ingenio vigentibus. Haec leges ab
S 3
illis

illis postulant, qui munificentiae Regiae participes esse gestiunt. Iam a. 1374. Ludovicus promissit, dignitates, castra, civitates, se non extraneis, sed terrigenis gentis Poloniae & incolis terrarum, in quibus vacua dignitas existat, modo non sint ex stirpe Ducali, concessurum (*). Eadem fuit mens Vladislao Jagelloni, exigenti tamen a nobili merita & bonam famam (**). Casimirus Jagellonis, & Ioannes Albertus, Casimiri filius, praeter priora voluerunt, ut candidari aetate, intellectu, prudentia vigerent, & illius terrae, in qua dignitas vacua esset, indigenae, ibidem bona haereditaria haberent (***). Tempore Alexandri sancitum, irritum esse, si alii quam descripsimus, dignitas mandetur, nec tali obedientiam esse praestandam (****). Probavit superiora Sigismundus I. illustravitque, ut dignitas terrae Cracoviensis, terrigenae Cracoviensi, Sendomiriensis Sendomiriensi, in maiori Polonia, maioris Poloniae, & reliquarum terrarum suis terrigenis obveniat; & si extraneo dignitas aut officium datum fuerit, ut is fama & bonis multetur, nisi monitus ultro cesserit (†). Inter leges, quas Henrico & eius Successoribus a. 1573. scripserunt Ordines, vacuae dignitates & munia, aetate maturis, idoneis, bene meritis utriusque gentis, non extraneis, servantur (†*). Sigismundus III. vult ut sint eiusmodi nobiles, qui aequalitate iuris & poenae gaudeant, componens se ad vetera iura de Ducali

cali

cali genere, nisi consensu Ordinum in contrarium accedente (†**). Post quem Reges, praeter Ioannem III. in suis pactis (†***), de terrigenis, indigenis, paritate iuris gaudentibus, bene meritis, aetate & *discretione* vigentibus loquuntur.

(*) Lasc. Stat. f. 41. p. 1. Priluf. Stat. p. 175.

(**) Lasc. f. 50. p. 2. Priluf. p. 175. 176.

(***) Lasc. f. 92. p. 2. Pril. p. 176.

(****) Lasc. f. 111. p. 2. Pril. p. 176.

(†) Priluf. p. 178. 179.

(†*) Vol. Const. p. 255. §. Urzędy.

(†**) Const. a. 1631. p. 4 tit. O Wakancyach.

(†***) §. Wakancye.

§. VI.

Quos leges nominant terrigenas, non alii sunt, quam nobiles; exprimitque prius vocabulum, polonicum *Ziemiánin*, quo in agris sibi & suo iure vivens intelligitur, quae nobilitium in Polonia est conditio, qui non civitates & oppida, sed sua praedia habitantes, vitam suo arbitrio disponunt. Debent autem nobiles esse nati, non creati, quorum demum tertia progenies, qui sunt pronepotes, ad dignitates admittenda (*), nisi meritis conspicui fuerint: tunc enim lex eos veteribus nobilibus aequat, & statim publicis muniis, bonisque regiis obtinendis idoneos declarat (**). Fuerunt tamen

Episcopi, qui patribus non nobilibus orti, ut *Hoefenius* seu a *Curiis*, *Hofius* & *Cromerus* Varmienſes Praeſules: neque alii Episcopatus exemplis deſtituuntur. *Ferberus* & *Gifius* pariter Episcopi Varmienſes Sigismundi I. & Sigismundi Augusti tempore, non quidem erant terrigenae ſed in urbe nati, nobilitatem tamen a maioribus acceperant. Querimoniam de Sigismundo Augusto, quod rabulas, homines conditionis ſordidae, & alios, quos leges honoribus arcent, ordini Senatorio adſcripſerit, alibi memoravi (**). In Prussia, etiam urbanis bona Regia obvenerunt, recenſetque historia decimi ſexti & decimi ſeptimi ſaeculi, *Ferberos*, *Werdawos*, *Praenios*, *Lindanos* quorum familiae nobilitate ſimul inſignes erant. Et eſt ſane civitatum in Prussia, praefertim maiorum, amplior ac Poloniarum conditio. Illae enim Senatus Pruffici partem conſtituentes, & in hoc nobilibus, qui non Senatores, praelatae, maiora in ſuos cives derivant iura, quam ſunt oppidanorum in Polonia, quae ut ſarta & tecta ſervarentur, totius provinciae cura fuit, ut, quoties aliquid a regni Ordinibus in civitates generatim ſanciretur, ſuarum tamen civitatum iura ſalva eſſe vellet: quae explanare, huius non eſt loc.

(*) P. C. Michaelis & ſucceſſorum §. Cudzoziemcow ani nikogo.

(**) P. C. Michaelis & ſucceſſorum §. citato. Conſtit.

Constit. a. 1676. p. 59. tit. Nobilitacya. p. 61. tit.
Nobilitacya Szuberta. Constit. a. 1726. p. 64. tit.
Nobilitacya Iana Renarda.

(*) Comment. in P. C. August. III. p. 35.

§. VII.

Indigenae, quales esse debent nobiles, sunt qui patre Polono, Litvano, terrarumque regno & magno ducatus iunctarum cive nati. Hinc orti parentibus non civibus, licet intra regni & magni ducatus fines in lucem editi, in usu iurium pro peregrinis habentur, cum contra civium filii, quamvis apud exteros procreati, indigenae esse non desinant. Possunt tamen exteri nobiles, indigenatu Polono donari, quem in comitiis eodem modo, quo non nobiles nobilitatem, impetrant. In hoc etiam novis nobilibus pares, ut tertia demum progenies dignitates & regia bona consequi possit, nisi meritis, sive toga sive bello, conspicui (*), aut ex antiquis familiis externis fuerint (**). Quando vero olim indigenatu tan angusti limites statuebantur, ut singularum terrarum dignitates, non nisi illarum indigenis cederent, quod §. V. docet, illud in praesens usum non habet, indigenatu iam latius patente, ut Poloniae, Litvaniae & iunctarum provinciarum indigenae, aequo iure habeantur, & illis promiscue in quavis terra ad dignitates & regia bona accessus detur (***) : sola excepta Prussia, cui ius indigenatus peculiare, omnes qui non Prussi,

pro exteris habens. Cum Sigismundus III. Radzivilium, Litvanum, Cracoviensem Episcopum declararet, multi Polonorum id aegre ferebant, quasi Episcopatus contra Regni iura collatus esset: quod negatum ab aliis, quia Radzivilius, quamvis Litvanus, Regni tamen indigena habendus (****). Eodem Rege, Litvani non nisi suae gentis Episcopum Vilnensem postulabant, quibus a Polonis demonstratum, posse dignitates Ecclesiasticas, promiscue Polonis & Litvanis, dummodo nobiles alterutrius nationis essent, conferri (†): qui nihilominus resistebant, cum Episcopatus ille, Maciejovio, Luceoriensi Praefuli, contingeret (†*); legis anni 1573. §. V. citatae immemores, quae dignitates utriusque gentis indigenis asserit. Postea controversiae nullae motae, quando Poloni ad Litvanas, Litvani ad Polonas dignitates evehebantur. Quod saepe factum exempla loquuntur, vidimusque nostra aetate, Sczikas, Poniatovios, Mnizekios ex Polonia in Litvania; Czartoryscios & Visnoviecius Litvanos, in Polonia munia obiisse. Imo id recte fieri, etiam Varsaviensis Tractatus docet, qui sequenti §. allegabitur. In Prussia, propter provinciae indigenatum, solis Prussis honores & bona Regia cedere debent, quod ius in privilegio, ut vocatur, incorporationis descriptum, Regum diplomatibus, pactis conventis, & constitutione Regni (†**) firmatur: suntque in hoc pacto Augusti III. ampli-

ampliora, quae simul nullas declarant litteras regias, quas in dignitates & bona extranei sint obtenturi (†***); in quam sententiam, statim post inaugurationem Regium diploma sequebatur (†****). Ea de causa, quoties Reges aliquid in Prussia Polonis contulerunt, quod factum est saepe, non solum excusarunt, sed etiam, ius indigenatus exemplis alienigenarum haud imminutum iri, declararunt. Prussi vero, postquam ius suum contradictione tutati, indigenatu donarunt, quibus a Rege in sua provincia aliquid obvenerat. Indigenatus hic in generali Prussiae conventu, publico Ordinum seio, seu *laydo* impetratur, quem etiam illi nonnunquam petunt, qui aliquando munia ibidem obire destinarunt. Habent ergo Prussi per suum privilegium incorporationis id praecipuum, ut cum per omnem Poloniam Litvanisque sint indigenae, ipsi Polonos & Litvanos in sua provincia exteris annumerent. De Livonia sancitum, ut dignitates Senatoriae & Capitaneatus, per vices, Polonis, Litvanis, Livonis, obveniant (†).

(*) P. C. Michaelis & Successorum §. Cudzoziemcow áni.

(**) P. C. Augusti II. & Augusti III. §. Cudzoziemcow áni pikogo.

(***) P. C. Michaelis & Successorum §. Wakancye.

(****) Heidenst. p. 294. 298.

(†) Heidenst. p. 311.

(†*) Heidenst. p. 343. Piafec. 156. 157.

(†**) Constit. a. 1647, p. 36. tit. Ziem Pruskich.

(†***) P. C. Augusti III. §. Providendo omnibus iuribus.

(†****) Comment. nost. in P. C. Augusti III. p. 64.
N. II.

(‡) Const. a. 1677. p. 26. tit. Ordynacya.

§. VIII.

Sed praeter nobilitatem & indigenatum, ut dignitatum & bonorum regionum candidati possessiones habeant, necesse est (*). Per possessiones autem intelliguntur bona *terrestria*, quo vocabulo nobilium praedia signantur, quibus alia, ac ecclesiasticis, oeconomicis & civitatum, est conditio. Neque sufficit, si quis bona *terrestria* conduxerit, aut in pignus teneat, sed debet illorum verus esse dominus: quae ex causa, leges de bonis & possessione haereditariis loquuntur (**). Exigitur etiam possessio in illo Palatinatu & tractu, in quo quis dignitatem vel capitaneatum cum iurisdictione obtinet (***) : nam capitaneatus quibus nulla est iurisdictione iuncta, tum bona regia alia, possunt etiam dari, cui nulla in tractu illo possessio, modo nobilis indigena sit (****). Pariter ad maiora ministeria, ut sunt Mareschalcatu, Cancellariatus, Thesaurariatus, & ad dignitates aulicas, datur aditus, in quacunque terra quis possesi-

possessionem habeat; quod ex statuto Casimiri III. (†) patet. Idem de exercitiis Ducibus affirmandum. Sed Poloni in Litvania, nisi ibidem bona *terrestria* habuerint, & Litvani vicissim in Polonia, nisi eadem conditione, munia obire & regni bonis frui nequeunt, providendumque Cancellariis, ne si quid secus collatum fuerit, Regniis diplomatibus sigillum imprimatur, cum omne illud pro vacuo habendum sit (†*). De Livonia lex scripta, quod possit Succamerarius, Vexillifer, Iudex, Subiudex & Notarius terrestris creari, cui nulla in regione illa possessio, quodque ipsi liceat, postquam munus obtinuit, possessionem emere (†**). Haec tamen, quam exposui, possessionum necessitas, ad solas *saeculares* dignitates pertinet, ecclesiasticarum candidati ab illa plane immunes habentur.

(*) Ianzowil Statut. p. 302. Vol. Constit. p. 42. tit. Osiadłość. Constit. a. 1613. p. 33. tit. Wárunek.

(**) Lasc. Stat. f. 92. p. 2. Priluf. Stat. p. 176. 179.

(***) Vol. Constit. p. 23. tit. O osiadłości. p. 515. tit. Osiadłość. Constit. a. 1631. p. 33. tit. Wárunek.

(****) Vol. Constit. p. 24. tit. O starostwach.

(†) Lasc. Stat. f. 93. p. 1. Priluf. p. 181.

(†*) Tract. Varfav. a. 1716. Constit. a. 1717. p. 12. §. Przywilejow.

(†**) **Conf. a. 1677. p. 26. tit. Ordynacya.**

§. IX.

Quia autem in Polonia omnes nobiles aequo iure censentur, vetant leges, in dignitatibus & bonis regiis, eorum praec aliis haberi rationem, quos splendor natalium supra ceterorum conditionem extollit. Iam Ludovicus & Vladislaus Jagello, quos §. V. citavi, nulli Duci aut Principi, aut ex sanguine Ducum descendenti, se praefecturas mandatuos polliciti, ut Ducibus Masoviae, Silesiae, Pomeraniae, qui & ipsi Duces, & Poloniae Ducum progenies erant; viam ad publica munia praecluderent. Revocabantur horum Regum statuta in memoriam, Sigismundo III. Ioanni Alberto filio, Episcopatum Varmientem conferente: quibus se etiam Rex submisit, nisi in contrarium consentirent Ordines, & candidatos dignitatum & bonorum regionum, iure & poena aliis nobilibus pares esse statuit: ut §. V. dictum. Quod autem ad Ioannem Albertum, promisit idem Rex diplomate, hunc suum filium; simul ad iustam aetatem venerit, se iureiurando Reipublicae obstricturum (*); idque diploma auctoritate comitorum roboratum (**). Implevit patris promissum filius, ad Episcopatum Cracoviensem consensu Ordinum interea euectus, iusiurandum Serratorium post Vladislai IV. inaugurationem praestando (***). Fiunt autem iure & poena pares, quando illi qui emi-

nent,

nent, ad nobilitatem conditionem se demittunt, tunc enim ampliora, quam alii, sibi haud sumtu-ros, & eidem poenae, si peccaverint in leges, se fore obnoxios, profitentur. Id declarabat per iusiurandum suum Ioannes Albertus, nec minus fratres eius Ioannes Casimirus & Alexander, qui eodem tempore ad aliam formulam, Regi & Reipublicae fidem suam spondebant (***) ; quod alias bonis regiis frui haud potuissent. Secutus illorum exemplum, qui supererat, frater Carolus Ferdinandus, cum a. 1641. consentientibus Ordinibus Episcopus Plo-censis declararetur (†): cui olim sine iureiu-rando, accedente Ordinum consensu, Abbatia Czervinscensis, sed in quatuor saltem annos, fuit permessa (†*). Hoc erat, quod Pater illorum olim edixerat, posse cessare leges de sanguine Ducum, si ita Ordinibus visum fuerit. Contra Ioannis III. filii, neque ad dignitates, neque ad regia bona admissi, sed paterna hereditate contentos esse eos oportebat, quoniam Regi & Reipublicae iurare, & in hoc, tum ad leges, tum ad exempla filiorum Sigismundi III. se componere detrectabant.

(*) Piasec. p. 421.

(**) Const. a. 1636. p. 4. tit. Warmia.

(***) Const. a. 1635. p. 19. tit. Konsens.

(****) Piasec. p. 459.

(†) Const. a. 1641. p. 4. tit. Konsens.

(10) Constitut. a. 1633. p. 20. tit. Konsens ná O-pactwo.

§. X.

His, quae haecenus de dignitatum & bonorum regionum candidatis memoravimus, leges addunt merita in Regem & Rempublicam, sive illa togae sive belli fuerint. Ante Augusti II. regnum, audiebatur querela, maiorem pretii quam virtutis haberi rationem, & plus offerentibus obvenire, quae bene meritis deberentur (*). Hinc cum Augustus II. & Augustus III. in Reges Ordinibus commendarentur, illorum nomine promissum, non nisi ex meritis & in virtutis praemium dispensaturos, quae vacua futura, quod magnus illorum animus ab indigno lucro abesset quam longissime (**). Super quod, Augustus II. in suis pactis sub religione iurisiurandi promisit, pro collatis, quae vacua, nulla se accepturum dona, & qui ex civibus aliquid obtulerit aut dederit, illum non solum dignitate praesenti carere, sed etiam in posterum veluti minus idoneum, nulli publico muneri admoveri, & ad delationem cuiusvis nobilis, coram tribunali causam dicere debere (***) . Tempore Ioannis Casimiri, cum successionis negotium vivente Rege perficiendum ferveret, nova, antea incognita, ad dignitates & bona regia patebat via, si candidati privatim iurarent, velle se successionem illam adjuvare, & scripto profiterentur, quod in hoc se

se Regis arbitrio submitterent. Vtrumque, & privatum eiusmodi iusiurandum & submissiones, exorbitantiae post Ioannis Casimiri abdicationem interdixerunt, addito, omne illud, quicquid novus Rex pro opera sibi in electione navanda promiserit, irritum esse debere (****): quae Michael & Reges successores in suis pactis (†) probarunt.

(*) Zafusc. T. II. p. 126. 186.

(**) Propositiones P. C. adiectae. Augusti II. §. Wakanse generaliter. Augusti III. §. Agdy ta iest.

(***) P. C. Augusti II. §. Za honcry.

(****) Exorbitancye a. 1669. tit. Distributiva iustitia.

(†) P. C. §. Zeby iustitia distributiva. Commentar. nost. in P. C. Augusti III. p. 22. 23.

§. XI.

Sed cum de Rege & Republica bene mereri non potest, nisi cui iusta aetas & ad negotia ingenii dexteritas, utramque leges exigunt. Iusta autem in Polonia habetur aetas annorum viginti quatuor: ut etiam ex hac causa collatum Ioanni Alberto, Sigismundi III. filio, Varmiensem Episcopatum aegre ferrent Ordines, quod annorum novem erat. Palatinum Cracoviensem aetatis annum decimum octavum nondum egressum, historia ad annum 1383. memorat (*). In pactis Augusti II. & Augusti III. seorsum a-

T

gitur

gitur de dignitatibus & capitaneatibus non minorennibus, sed aetate & ratione vigentibus, dandis (**).

(*) Dlugoff. X. 81.

(**) P. C. Augusti II. §. Takze w ieden dom. P. C. Augusti III. §. W ieden dom.

§. XII.

Et ista quidem olim sufficebant. Nostra aetas religionem catholicam Romanam addidit, a qua caeteris pondus suum accederet. Haud facile quemquam fugiet, esse in Polonia, praeter Romanos catholicos, ab his segregatos, dissidentes in religione Christiana vulgo dictos, quibus ut Romanis catholicis, ad dignitates & bona regia patebat aditus, ita tamen ut in dies redderetur difficilior. Sunt octoginta circiter anni, ex quo nullus illorum in Senatum receptus, minora autem munia obierunt & adhuc obeunt, neque ulla erat lex, quae eos aut Senatu, aut aliis dignitatibus, aut regiis bonis arceret. Augustus II. in conferendis dignitatibus Senatoriis & capitaneatibus cum iurisdictione, se continuum usum & antiquam praxin, qualis sub Ioanne Casimiro, Michaele, Ioanne III. viguit, observaturum, in pactis suis promisit, Menonistas, Anabaptistas, Quackeros excipiens, & leges in Arrianos olim latas repetens (*). In *Tra-ctat. Varsaviensi* a. 1716. Cancellariis iniunctum, regia diplomata, quibus *dissidentibus* aliquid colla-

collatum, non nisi absque damno catholicorum sigillo munire (**). Sed per confederationem a. 1733. illis via ad orbitia munia & capitaneatus, quibus est iurisdictio, praeccluditur, ut tamen dignitates quas habent, retineant (***) . Legem hanc interregni tempore, *dissidentibus* ad conclave nuntiorum non admittis, latam, constitutio a. 1736. probavit (****).

(*) §. W rozdawaniu zas dignitastwa.

(**) Constit. a. 1717. p. 13.

(***) Konf. gener. a. 1733. §. Dissidentibus iednak.

(****) P. 97, tit. W arunek.

§. XIII.

Tantum de candidatis, quibus dignitates & bona regia conferenda: quibus autem non potest conferri, nisi quod revera vacuum, sive, qui tenuit, in altiorum honoris gradum elevato, sive mortuo (*). Hinc expectationes eorum quae vacatura, sive ecclesiastica sive saecularia, non datum iri, iam Vladisläus Jagello promisit; quas novissime *Tractatus Varsoviensis* interdixit (**). Eodem *Tractatu* regia diplomata cum vacuis spatiis, vulgo fenestellis, ut posset inscribi quodcumque primum vacuum fuerit, verantur (***) . Publica autem munia in alios *cessione* transferri *exorbitantiae* a. 1669. non concedunt (****). Pariter cautum, ne unum quod vacat, duobus conferatur; hoc cum, tanta dignitatum & bonorum regionum copia,

ac candidatorum multitudine longe maiore, per errorem facile fieri possit, regia privilegia intacta *metrices* referri, & cancellariae secum invicem communicare debent, ne eadem diversis signentur (†). Sunt etiam munia, quorum duo uni concedi nequeunt, qualia ius nostrum *incompatibilia* vocat. Quo pertinent duo officia *terrestria*, tum *terrestre* unum & aulicum unum, quae in uno iungere haud licet (†*): quod pariter de ministeriis Senatorii ordinis & exercituum Praefecturis dicendum, ut Duces exercituum maiores & minores, simul Marschalci, Cancellarii, Thesaurarii esse nequeant. Hoc olim secus se habebat, cum Duces militiae saepe una Ministri Senatorii essent. *Io. Zamoiscius* & *Stan. Zolkievius* regni Cancellarii & exercitus supremi Duces; *Georg. Lubomirius* & *Io. Sobiescius* supremi regni Marschalci & Duces exercitus; *Vincent. Gasievius* & *Mich. Radzivil* exercitus Litvani minores Praefecti, & ille simul Thesaurarius, hic magni Ducatus Procancellarius, fuerunt. Id quo minus in posterum obtineret, *exorbitantiae* a. 1669. & quae eas secuta Regum pacta conventa prohibuerunt (†**). Hinc hodiernus supremus exercitus Litvani Praefectus, Princeps *Viesnovicius*, a. 1735. non prius hanc dignitatem obtinuit, quam supremum Cancellariatum posuerat; & Princeps *Radzivilius* desinebat curiae Litvanæ Marschalcus esse, cum eodem anno minor exercitus Dux declararetur. Plura sunt eiusmodi *incompatibilia*, scilicet

scilicet, ne Archiepiscopus & maior Episcopus sit Cancellarius; Minister Senatorius Palatinus aut Castellanus; Poloniae maioris generalis Capitaneus, Palatinus & Castellanus, tum Posnaniensis tum Califfiensis; ac alia, de quibus suo loco, quando dignitates sigillatim explicabuntur. Non tantum de singulis, sed etiam de integris familiis leges aliquid praecipunt, quod hic addendum. Antea, interdum uni familiae plura ministeria pacis & belli obveniebant. Tempore Sigismundi III. Litvaniae uterque Mareschalcatus, & exercitus suprema praefectura, in *Radziviliorum*; Vladislai IV. iidem Mareschalcatus, supremus Cancellariatus, & minor exercitus praefectura, in eadem domo; Ioannis Casimiri, Cancellariatus & Thesaurariatus Regni penes *Lesczynios*, Litvaniae Cancellariatus & exercitus praefectura penes *Pacios*; Ioannis III. Mareschalci Regni *Lubomirii*, Litvaniae Thesaurarius, Mareschalcus curiae, Dux exercitus, *Sapibae*, Cancellarii vero *Radzivilii* erant. At in pactis Augusti II. unam familiam duobus eiusmodi ministeriis exornare, primum vetitum, quod in pactis Augusti III. repeti placuit (†***). Cum ergo Princeps Michael *Visnoviecius*, a. 1702. minor exercitus Litvani Dux crearetur, frater eius curiae Litvanae Mareschalcus, pro hac dignitate, quam posuit, *Vilnensem Castellana-* tum accepit (†****).

- (*) P. C. Augusti II, §. Waruicmy za Naisaicysta, Augusti III, §. To też waruicmy,
- (**) Lasc, Stat, f, 50, p, 2, Constitur, a. 1717, p. 11, §. Nikogo,
- (***) Constit, a. 1717, p. 12, §. Przywilciow,
- (****) Exorbit, a. 1669, tit, De incompatibilibus,
- (†) P. C. Michaelis & Ioannis III, §. W tym się też, Augusti II, & Augusti III, §. autca citato, Constit, a. 1717, p. 13, §. Przywilciow,
- (†*) Exorbit. I, c, P. C, Michaelis, Ioannis III, Augusti II, §. c,
- (†**) Exorbit, I, c, P. C, Michaelis & Ioannis III, §. c, Augusti II, & Augusti III, §. Incompatibilia,
- (†***) P. C, Augusti II, §. Takze w ieden dom, Augusti III, §. W ieden dom duo,
- (†****) Zalasc, Epist, T, III, p, 158,

§. XIV.

Inter dignitates sacras, quas Rex, ut *saeculares*, confert, primum locum Archiepiscopus & Episcopus obtinent. Antiquis temporibus, Archiepiscopi & Episcopi a suis Capitulis electi (*), imo interdum a solo Papa, nulla cum praecessisset Capitulum electio, creati (**). Principes tamen quem vellent eligi, Capitulis commendasse (**), imo si electi, qui displicerent, ad Episcopatus non admisisse (****), legimus. *Dlugossus* perhibet (†), Duces in quorum ditione

tionē tractus Cracovienſis, uſque ad annum 1207. ſuo arbitrio illius loci Episcopatum contuſiſſe, & Capitulum illo demum tempore, eligendi ius, opera cuiuſdam *Ioannis* Archidiaconi, conſecutum eſſe. A. 1102. Papa Paſchalis II. in epiſtola ad Gneſnenſem Archiepiſcopum queritur, Episcoporum translationes non fieri auctoritate Apoſtolica, ſed Regis nutu (†*): quo titulo Poloniae Principes appellat Papa, qui tum Duces vocabantur. Ludovicus Rex, parum curavit electiones, cum alios quam electos, nominaret, imo etiam in Episcopatus, antequam vacarent, ius ſuccedendi per *expectationem* largiretur (†**). Vladislaus Jagello, ſecurus Ludovici exemplum, Archiepiſcopos & Episcopos nominavit (†***), interdum & Capitulis eligendos commendavit (†****): etiam Papae negligens auctoritatem, ſi quis ab illo creatus eſſet (†). Martinus V. tum ex hac, tum ex aliis cauſis, a. 1427. graviter increpuit Regem, quod iura eccleſiae conculcentur; eccleſiaſtica libertas opprimatur; cenſurae Papae & ſacrae ſedis auctoritas parum timeantur; eccleſiarum & monaſteriorum electiones non liberae ſint, ſed ad Regis praecriptum fiant; beneficiorum per Papam collatorum provisiones contemnantur, & multa alia praeter honorem Regium, & eccleſiae dignitatem admittantur (†*). Idem Papa Regem eundem a. 1429. docebat, nominationem Episcoporum non iuris Regii, ſed Summi Pontificis eſſe, eccleſiis vacantibus providere; Papam interdum precibus Principum,

si dignae assensu, annuere, interdum aliter, ac supplicatum, constituere (‡**). Casimirus III. Vladislai Jagellonis filius, rogans Papam Nicolaum V. ut sibi liceret, salvo iure ordinario, omnia beneficia, per quae dignitates ecclesiasticae intelligendae, conferre, eius consensum in nominationes nonaginta impetavit (‡***).

(*) Anon. Archid. Gnesn. T. II. Script. Siles. Sommersb. p. 82. 85. 92. 131. 134. 149. Dlugoff. VI. 609. 618. 630. 643. 648. VII. 691. IX. 1151.

(**) Anon. Arch. Gnesn. p. 79. 80. 93. Dlug. VI. 594. VII. 775. 832. IX. 919. 986. 1087.

(***) Dlug. VI. 609. 618. IX. 1151.

(****) Dlug. VII. 775. X. 57. Anon. Arch. Gnesn. 135.

(†) VI. 603.

(†*) Baronius T. XII. ad an. 1102. n. 8. quem locum ex Sever. Bini collect. concilior. Hartknochius de Repub. Pol. lib. 2. c. 2. §. 10. citavit.

(†**) Anon. Arch. Gnesn. p. 133. 135. 136. Dlug. X. 57.

(†***) Dlug. X. 137. 143. 155. XI. 312. 315.

(†****) Dlug. X. 173. XI. 350. 468. 469. 639.

(‡) Dlug. X. 124.

(‡*) Raynaldus ad a. 1427. §. 17.

(‡**) Raynaldus ad a. 1429. §. 14.

(‡***) Dlug. XIII. 29. 40.

§. XV.

§. XV.

Licet Papa nominationes beneficiorum ad certum numerum restrinxisset, Casimirus tamen liberiore iure novos ecclesiarum Praefules designabat (*): & electiones, quando Capitulis permittebat, ad eius voluntatem fiebant (**), ut Episcopum Vladislaviensem se invito a Papa creatum non admitteret (***). A. 1460. de Episcopatu Cracoviensi gravis orta lis, alio Episcopo a Papa creato, alio a Rege nominato, & alio a Capitulo electo; sed quem Rex volebat, competitoribus eius praeferebatur (****). Ab hoc tempore, Reges Episcopos nominasse, *Bielscii* est sententia (†), quos iam antea sibi hanc potestatem asseruisse, allata a nobis exempla probant. Regnante eodem Casimiro, de Episcopatu Varmientiensi etiam armis certatum, *Nic. Tungenio* a Capitulo electo, *Alberto Operovio* a Rege Episcopo declarato. Sed *Tungenius* suam electionem eo successu tuebatur, ut Rex tandem ab *Operovio* desistens, ipsi Episcopatum permitteret (†*). Post *Tungenium* non minus Varmienſe Capitulum electionis ius exercuit, & ut contentioni quae inde nasci posset occurreretur, a Sigismundo I. a. 1512. constitutum, ut Episcopatu vacuo, Rex quatuor Canonicos Varmienſes, Prussiae indigenas nominaret, ex quibus Capitulum suum Praesulem eligeret (†**). Id usu servatum in nostram aetatem, soletque Rex quem ex quatuor candidatis eligi velit, prae aliis commendare,

& Capitulum Regium sensum reverenter sequi. Sigismundus III, filium Joannem Albertum, Episcopum Varmiensem declaravit, quamvis de gremio Capituli non erat (†***). Hodiernus Celsissimus Praesul *Stan. Grabovius*, non erat in Canonicorum numero, cum Capitulo in Episcopum commendandus esset, sed Papa Ipsum propter merita & virtutes, statuto Sigismundi I, eximens, pro legitimo candidato, ac si Canonicus esset, haberi iussit; memoratum Sigismundi decretum & Capituli iura, in posterum salva praecipiens.

(*) Dlug, XIII. 83, 87, 338, 393, 407. &c.

(**) Dlug, XIII, 46, 170, 338.

(***) Dlug, XIII. 49.

(****) Dlug, XIII. 262, 312, Bielsc, Chron, p, 428.

(†) Bielsc, Chron, p, 428.

(†*) Dlug, XIII, 4, 10, 581, Hist, nost, Pol, p, 43.

(†**) Privilegium hoc Capituli Varmiensis, habetur inter iura municipalia terrarum Prussiae.

(†***) Histor, nost, Pruss, T, V, p, 155, 159.

§, XVI.

Praeter unum Varmiensem Praesulem, Archiepiscopos & Episcopos Rex nominat, & ius hoc Regi ex Apostolica privilegio esse, bulla Sixtri V. declarat (*). Nominati Papae commendantur, ut eos confirmet, quod ab Illo fit,
litteris

litteris eam in rem datis, Ante hanc confirmationem, nominati, locum & iura Episcopalia, tum regimen ac administrationem ecclesiae eiusque bonorum sibi vindicare, eadem Sixti V. bulla prohibentur, secus neque ad illam cui designati, neque ad ullam aliam ecclesiam unquam admittendi, Confirmationes raro negantur, non tamen omnino exemplis destituimur, *Stephan. Vierzbovium* Posnaniensem Episcopum, designatum a. 1686. a Rege Gnesnensem Archiepiscopum, Papa non confirmavit, quia *Hier. Lubomirii* Melitensis equitis matrimonium probaverat (**). Tempore Augusti II, quidam, Episcopus Livoniae nominatus, ob aliam causam a Romana aula repulsam tulit,

(*) Apud Zalasz, Iur, Reg. Pol, T. I. p. 553.

(**) Zalusz, Epist, T. I, part, 2, p. 979. 1009.

§. XVII.

Efficit haec Archiepiscoporum & Episcoporum nominatio, praecipuam partem iuris patronatus regii, cuius integritati leges prospexerunt. Ioannes Albertus illud temerarios, proseribi & eorum bona publicari iussit (*): & Alexander non solum ipsis reis, sed etiam illorum amicis & consanguineis, eiusmodi poenas irrogandas edixit (**). Vladislaus IV, asseverat se solum hoc ius exercere, & neminem eius participem reddere velle (***). Ioannes III, se illud tuiturum, nec passurum, ut quis sine sua
nomi-

nominatione sacras dignitates invadat, in pactis conventis spondit (***) . Augustus II. Reipublicae promittit, in conferendis Episcopatibus, Abbatiis, Praeposituris, & aliis beneficiis ecclesiasticis, ius patronatus sine ulla diminutione tueri, & in eos, qui sine Regia nominatione, sibi eiusmodi munia arrogaturi essent, animadvertere (†): quod constitutione a. 1699. (†*) probatum. *Traëctatus Varsaviensis* a. 1716. Cancellariis iniungit, diligenter attendere, ne iuri patronatus derogetur (†**). Denique constitutio a. 1726. priores leges pro illo latas, confirmat (†***), quibus haud derogatum iri constitutio a. 1736. asseverat (†****).

(*) Lasc. Stat. f. 101. p. 2.

(**) Lasc. Stat. f. 118. p. 2.

(***) Constit. a. 1641. p. 13. tit. Iura patronatus.

(****) P. C. §. Iura Maiestatis.

(†) Propositiones pactis conventis Augusti II. adiectae, inter Const. a. 1699. p. 25. §. Iura patronatus.

(†*) Const. a. 1699. p. 48. tit. Ius patronatus.

(†**) Const. a. 1717. p. 11. §. Nikogo.

(†***) Const. a. 1726. tit. Pofelstwo do Oyca Swiętego, p. 8.

(†****) Constit. a. 1736. p. 93. tit. Modyfikacya.

§. XVIII.

§. XVIII.

Recte iuri patronatus regio Abbatiae vindicantur. Antiquissimis quidem temporibus, monachi suos Abbates libere eligebant, ita tamen, ut Rege conscio ad electionem accederent, & electus non prius inauguraretur & Abbatiam adiret, quam a Rege probatus esset (*). Deinde, ne alios, quam Regi placerent, Monachi crearent, nominabat, quos eligi vellent, neque ab aliis quam qui nominati, Abbacias teneri, patiebatur, ut Rex eadem potestate in conferendis Abbatiis, qua in Episcopatibus uteretur. Non tamen semper nominabat, qui regulam illius ordinis, cui Abbatiae adscriptae, profitebantur, sed interdum etiam Praelatos saeculares, qui ad regulam illam accedere vellent, & nonnunquam Episcopos & Praelatos alios, perpetuos Abbatiarum constituebat administratores; quod erat Abbacias in commendam dare, & quibus collatae, Abbates commendatarii dicebantur. Hi a Papa per bullam confirmandi erant, cum reliqui confirmatione non indigerent, nisi quod illi, qui Abbatiae regulam non profitebantur, interdum Papae consensum expeterent. Tempore Michaelis orta est controversia de Abbatiis, monachis pro electione nitentibus, Rege ius nominandi tuente. Papa, ad cuius iudicium lis delata, monachis magis quam iuri regio favere videbatur, quamvis confirmaret Abbates a Rege nominatos. Tentata non semel, regnante Ioanne III. compositio, Rege

Rege aliquid de iure suo remittente, ut reliquum servaret; sed non successit, controversia etiam post illius mortem agitata (**). Asserta tamen Regi conferendi Abbatiarum potestas, in pactis Augusti II. (***), cuius *propositiones* pactis adiectae, tum in reliquis dignitatibus ecclesiasticis, tum in Abbatiis ius patronatus Regium fortiter tuentur, ut proximo §. XVII. demonstratum. Quia de causa obtulit Augustus II. suam curam, ut nominati a Ioanne III. Abbates, suis dignitatibus fruerentur (****). In comitiis a. 1699. multum indignati Ordines, plures a Rege nominatos Abbates a monachis non admissos, alios quos Rex non nominasset, redditibus frui. Placuit hinc, ut bona Abbatiarum a regiis *Commissariis*, donec Papa nominatos a Rege probasset, administrarentur, Abbates autem sine Regis nominatione creati arcerentur (†): constitutione ad data, ut post comitia leges de iure patronatus, nulla interiecta mora, exercentur (†*). Sed neque sub Augusto II. lis de Abbatiis desit, legatione Romani ommissa (†**), ad quam a. 1726. delectus *Ioannes Tarlo*, Lublinensis eo tempore Palatinus, ut praeter alia, efficeret, ne Principis auctoritas in nominandis Abbatibus, monachorum aulis in posterum imminueretur. Eodem tempore vetitum, possidere Abbatis in damnum iuris patronatus, ut etiam vi pelli deberent, qui eas usurpassent (†***). Nova ostendebatur spes, posse post longam moram con-

trover-

troverfiam tandem componi, Augusto III. in fuis pactis operam offerente (†***), & fingulari in aulam Romanam gratia, Abbates fine Regia nominatione a Papa confirmatos, in comitiis a. 1736. probante. In his fimul, Lublinenfi olim, iam Sandomiriensi Palatino, legationi Romam a. 1726. destinato, dabatur facultas, cum Papae Nuntio, qui erat Camillus Paulucius, de iuribus Maiestatis & Patronatus agendi (‡). Confectum negotium Varsaviae, die sexta Augusti eiusdem anni, eo quidem modo, ut, quae ad curam & administrationem Abbatiarum ac redditus, constitutis, Summi Pontificis nomine, Regi undecim Abbatiae & una Praepositura, quas in commendam, ea qua Episcopus nominat, ratione, conferret, collatasque fuis bullis Papa probaret, permitterentur, reliquos vero Abbates Monachi eligerent, ab aula Romana confirmandos. Postulatum quidem, ut quatuor Abbantias in commendam dandas Papa adiiceret, sed pro illis una faltem obtineri potuit. Sunt autem hae Abbatiae, *Tynecensis, Lubinensis, Plocensis, Vachocensis, clarae Tumbae, Suleioviensis, Vagrovocensis, Andreioviensis, Paradisiensis, Czervensis, Tremesnensis, Hebdoviensis, & Praepositura Mietchoviensis.* Conventionem in Senatus confilio Fraustadienfi, a. 1738. Rex ratam habebat (‡*).

(*) Lasco Stat. f. 74. 75.

(**)

- (**) Zalusc. Epist. T. II. p. 780. f.
- (***) P. C. Augusti II. §. Także w ieden dom.
- (****) Proposit. P. C. Augusti II. adiect. §. A że Kontrowersya.
- (†) Zalusc. l. c. p. 782.
- (†*) Constit. a. 1699. p. 48. tit. ius patronatus.
- (†**) Comment. nost. ad P. C. Augusti III. p. 48. n. 3.
- (†***) Const. a. 1726. p. 7. 8. tit. Pofelstwo.
- (†****) P. C. Augusti III. §. Instancyo w ac także.
- (‡*) Constit. a. 1736. p. 93. tit. Modyfikacya.
- (‡**) Nova Fama Europ. part. 43. p. 588. f.

§. XIX.

De Abbatiis in Prussia, Olivenfi & Pelplinensi, Cisterciensis regulae, speciatim notandum, quod ante memoratam cum Papa conventionem, monachis electio suorum Abbatum permessa fuerit, quos alias Reges suae nominationi asseruerant, Prussiae Ordinibus ius eligendi, pro monachis tuentibus. Constitutio a. 1699. quae leges de iure patronatus regio exerceri iubet, Abbantias Prutenicas excipit (*). Pacta conventionis Augusti III. nominant Olivensem & Pelplinensem, quarum cum caetera, tum electionis ius Rex integra servare, & electos Abbates, modo nobiles non plebeiae conditionis fuerint, approbare velit (**).

(*) Ci-

(*) Citata paullo ante constitut. 1699.

(**) P. C. Augusti III. §. Ordinis Cisterciensium.
Add. Commentar. nost. in eadem P. C. p. 100.

§. XX.

Debent enim Abbatiis, indigenae nobili sanguine nati praeesse. Statutum a. 1538. praecipit, ut si inter monachos illius Abbaciae, cui novus Abbas praeficiendus, nullus idoneus nobilis sit; is ex alio monasterio eiusdem regulae petatur, quod si & ibi haud suppetat, tum demum plebeii ratio habeatur (*). Sequenti anno, Sigismundus I. promisit, se ordinario loci Episcopo non alium in Abbatem praesentaturum, nisi nobili loco natum, & ex sensu memorati statuti electum (**). Alia lex a. 1550. vult Abbatem per patrem & matrem nobilem, & si talis, qui muneri aptus, inter monachos non reperiretur, ex alio loco illius dioecesis arcessendum, etiamsi regulam Abbaciae non profitentem, professurum tamen, cum primum Abbas institutus fuerit (***). Consentiunt recentiora tempora, pactis Augusti II. & Augusti III (****), Abbacias solis terrigenis afferentibus. Praeter nobile genus, etiam iustam aetatem & merita habere debent Abbates (†), quo muneri idonei & illo digni sint: imo etiam Abbatum coadiutores, qui infra iustam aetatem, creari prohibentur (†*). Quae lex post Ioannis Casimiri abdicationem ideo lata, quod illo regnante coadiutoriae Abbatiarum

minoribus cefferant, quos natales & parentum cognatorumque merita commendabant (†**).

(*) Priluf. Stat. p. 147. Herbutt. Stat. p. 3.

(**) Priluf. I, c. Herb. p. 4.

(***) Priluf. p. 148. Herb. I. c.

(****) P. C. Augusti II. §. Takze w ieden dom. Augusti III. §. W ieden dom.

(†) P. C. Augusti II. & Augusti III. §§. cc.

(†*) Exorbit. a. 1669. tit. O opačwach.

(†**) Zal. Epist. T. I. p. 87.

§. XXI.

Sunt Praepositurae, sunt alia munia sacra, quae Rex confert, de quibus idem, quod de Abbatibus, dicendum, ut candidati sint nobiles, indigenae, aetatis iustae, & meritis insignes.

Priluf. Stat. p. 147. Herb. p. 3. Exorbit. a. 1669. tit. O opačwach.

§. XXII.

Redeo ad Senatorias dignitates, in quibus sunt, quas nobilitas confert, collatas vero Rex probat. Eligit enim Capitaneum Samogitiae, cui inter Senatores locus, illius provinciae nobilitas, electumque Regi commendat, ut ipsi dignitatem confirmet: videturque hoc nobilitatis ius post Stephanum coepisse, cum ille Capitaneatum, multis ambientibus, *Io. Kiskae*, non ad

ad nobilitatis preces, sed ultro contulit (*). Augusto II. a. 1698. nuntii ex Samogitia gratias egerunt, quod Capitanatus *Greg. Oginscio* obtulerit, quibus responsum, Regi, uti nobilitas petiisset, curae fuisse, non qui lautior, sed qui civibus acceptior esset (**). Vacuo iam dudum hoc Capitanatu, praesenti a. 1742. missi ex Samogitia *Fraustadium*, a Rege hanc dignitatem, *Castellano suo Tyszevicio* obtinuerunt. Non minus Palatinum suum *Polocensis* nobilitas creat, hocque eius ius ab antiquis *Litvaniae Ducibus & Poloniae Regibus* repetitum, a. 1647. & 1699. constitutionibus firmabatur (***). Hinc quod nobilitas in electione peragenda tardior, iam ab anno 1728. quo *Stan. Denhofius* obiit, suo Palatino caret. Eandem potestatem exercent, *Vitebscensis Palatinatus* nobiles, quam ex privilegiis *Casimiri III. & successorum* deductam constitutio a. 1699. roborat, dignitate illius temporis Palatino, *Georg. Kryszpino*, salva (****), quem non electum, *Ioannes III.* a. 1695. per se constituerat (†). De dignitatibus minoribus, quarum candidatos nobilitas Regi commendat, ut ex iis unum deligat, infra libro III. agetur.

(*) Heident. p. 140.

(**) Zal. Epist. T. II. p. 638. 639.

(***) Const. a. 1647. p. 37. tit. *Approbacya przywileiu. Constit. Litvanicarum* a. 1699. p. 4. tit. *Approb. przyw. ná Elek. Wošew. Połoc.*

(****) Const. Litvan. a. 1699. p. 4. tit. Approb.
przyw. ná elck. Woiew. Witebskiego.

(†) Zal. Ep. T. I. part. II. p. 1532.

§. XXIII.

Satis in praefens, ut opinor, de iure regio honores intra Regnum conferendi: superest, ut quale illud extra Regnum sit, adiiciam. Et habet Rex, ut alii Reges catholici Romani, potestatem, unum, sive civem, sive extraneum, suo nomine commendandi candidatum, quando Papae constitutum est, plures Cardinales creare; estque commendationi ea auctoritas, ut pro contemptu & iuris regii imminutione habeatur, si frustra fuerit. Primum Polonia habuit Cardinalem, Casimiri III. tempore, *Sbigneum Olesnicium*, Cracoviensem Episcopum, cui purpura non Regis commendatione, sed Papae iponte, ultro contigit, in honorem tamen, ut ipse praedicabat Papa, Regis & regni (*). Cum autem hanc dignitatem in Cracoviensi Praefule aegre ferrent maiores Poloni, iuribus Gnesnensis Archiepiscopi metuentes, veniretque res inter utriusque Poloniae proceres ad diffidium, lata fuit lex, nequis Rege & consiliariis insciis, Cardinalatum petat aut obtineat (**). Idem Calimirus *Rudolphum* Episcopum Lavantium, Papae Nuncium, ut pro opera in conciliata cum ordine Teutonico pace gratiam referret, in Cardinalem commendavit (***). Vñ hoc iure Reges in posterum, tantumque valuit apud

apud Gregorium XII. Stephanus, ut in eius gratiam a. 1584. tres Cardinales, *Georg. Radzivilius* Vilmensis Episcopus, *Albertus Bolognetus* Papae in Polonia Nuntius, & *Andr. Batoreus* Regis fratre genitus, & hic quidem extra ordinem, crearentur (****). Graviter ergo ferebat Ioannes Casimirus, *Petrum Bonfium*, Biterrensem Episcopum, Galliae Regis legatum, ad purpuram frustra a se commendatum, ac ius suum rationibus demonstrabat (†). Excusans Papam Alexandrum VII. successor Clemens IX. *Bonfium* ad Michaelis postulationem purpura exornabat (†*). Non preffit indignationem Ioannes III. candidato suo, Episcopo Bellovacensi *Furbinio*, a Papa Innocentio XI. inter novos Cardinales omisso. Neque leniit eius animum, quod illo tempore duo Poloni, *Mich. Radzeiovius* Varmiensis Episcopus & *Io. Cas. Denhofius* Abbas, ac cum his Papae in Polonia Nuntius *Pallavicinius*, purpura insigniti, quia nullus ex his suam dignitatem Regis nominationi debebat (†**). Melius Regi successit socii sui Marchionis *Arquiani* commendatio, qui inter Ecclesiae Romanae Purpuratos cooptabatur (†***). Idem obtinuit pro *Io. Baptista Salerno* S. I. Augustus II. cui missum a Papa pileum, ipse Rex Varaviae a. 1720. publice in aede Ioannea imposuit (†***). Ius hoc designandi dignitatis cardinalitiae candidatos, quod Reges iam longo tempore exercuerant, a. 1733. lege firmatum, Augusto III. in suis pactis, hac po-

testate se usurum, promittente (‡): Qui etiam effecit, ut a. 1737. Episcopi Cracoviensis *Io. Lipsicii* in Augustos & Rempublicam merita, Romana purpura insignirentur; cuius caput Sacra Regia Maiestas, sequenti anno, pridie quam inchoarentur comitia, pileo condecorare dignata est, vicem quasi reddens, cum olim ex eius manibus regni insignia recepisset.

(*) Dlug. XIII, p. 40. 50. 51.

(**) Dlug. p. 54. 55. 67. Prilus. Stat. p. 85. Herb. Stat. p. 64. tit. Cardinalatus,

(***) Dlug. p. 393.

(****) Heidenst. p. 218.

(†) Zal. Epist. T. I. p. 6. 7.

(†*) Zal. l. c. p. 116. 161. 162. 301. 634.

(†**) Zal. T. I. part. 2. p. 973. 976. 992. 993.

(†***) Lunig. Publicor. negot. sylloge p. 1213.

(†****) Fama Europ. part. 236. p. 713. f.

(‡) P. C. Augusti III, §. Na legacya.

§. XXIV.

Haec de Cardinalibus commemoratio, ad Patronum regni, *Protectorem* vocant, deducit, quem ad exemplum aliarum nationum, Poloni Romae habent, ut de negotiis quae ipsi mandantur, ad Papam referat, & in eius aula confici curet. Est is ex numero illorum Cardinalium, quibus in urbe stabilis sedes, cui munus hoc

hoc, a Rege Senatoribus consciis confertur, quod dum vivit, fungi solet, nisi ad summum Pontificatum evehctus fuerit. Qua ex causa, Patronus olim constitutus, a novo Rege suo diplomate in hoc munere confirmatur, idque pariter ex Senatorum consilio. Non alienum a tractatione nostra videtur referre, Ioannem III. indignatum, cum Cardinalis *Vrsinus*, *Protector*, primum regni Lusitaniae, deinde familiae suae, insignia Poloniae in porta domus suae postposuisset; ut etiam querimonia ad Papam deferretur (*).

(*) *Zal. Epist. T. I. p. 627. 673. 674.*

§. XXV.

Cum Regis est, dignitates & bona conferre, interregni tempore conferri nequeunt, sed quae tunc vacant, futuro Regi peracta inauguratione servantur. Post Sigismundi Augusti mortem, Prussi *Barthol. Plemiscium*, Culmensis Episcopum designarunt, probatum iri a novo Rege sperantes: quod irritum fuit, *Petr. Kostka*, a Rege Henrico, Episcopo declarato (*). Interrégno ante Stephanum, Russiae nobilitas Palatinum, & Lublinensis Castellatum sibi elegit (**), quod ob publicam necessitatem a regni Ordinibus in conventu Andreioviensi probatum, ad novum Regem ut ratum haberet delatum est (***). Prussis vero iterum non successit, mortuo Ioanne III. in conventu ante comitia convocationis, Palatinos Culmensis & Mariae-

burgensem, Castellatum Elbingensem, Succamerarium & Vexilliferum Mariaeburgenses creantibus. Nam Augustus II. cuius regimen interregnum illud excepit, vacuas in Prussia dignitates, suo iure usus, aliis contulit.

(*) Histor. nost. Pruss. T. III. p. 20. 29. 77. 80. 97.

(**) Heidenst. p. 93. 94. Biels. Chron. p. 727.

(***) Vol. Constit. p. 245. §. Rycerstwo w szysko.

§. XXVI.

Restat ut adiiciam, quae leges de bonis regiis seorsum praecipiant. Horum, ut §. I. dictum, tria sunt genera; capitaneatus, tenutae & advocatiae, quae vocabula minus latina, inducta olim, perpetuus usus probavit. Vocantur bona regia, quod antiquis temporibus patrimonium Regum erant, quorum proventus recipiebant, quaeque illorum nomine a praefectis seu procuratoribus administrabantur, aut etiam privatis certo pretio locabantur. Haec bona, ut adhuc sunt, per omnes terras erant sparsa, habebantque Reges ubique sua horrea frugibus referta, quas procuratores vendebant, aut pro operis depromebant (*). Casimirus M. in testamento praedia, vicos, oppida & integros tractus legavit (**). Ludovicus Cuiavensem terram, duobus millibus marcarum, singulis annis in Regis thesaurum inferendis, locavit, cum priores Capitanei tantum octingentas pependissent. Idem Capitaneo Cracoviensi, singulis annis in
sumtus

sumtus mille marcas grossorum, aliquot molendina & villas cum suis allodiis assignavit (**). Post inaugurationem Vladislai Jagellonidae, quod ipse annis minor, in singulis terris singuli provisores, in Cracoviensi autem duo constituti, ut reditus regios & alia curarent, annuo quinquaginta marcarum ex iisdem redditibus salario (***). Casimirus III. oppido Neuburgo in Prussia ac eius agro, administratorem praefecit, cui annum mille & sexcentorum florenorum esset (†). Sed haec hodie secus se habent. Mansit bonorum regionum nomen, ne illorum origo & prima conditio oblitteraretur, sed fructus ad privatos transierunt, & quae ab his praestantur, non Regis sed Reipublicae usus cedunt, ut revera sint Reipublicae bona, a Rege privatis collata, diversa plane a bonis Regis familiaribus, seu oeconomicis, quae capite praecedenti recensui. Dicuntur bona regia etiam panis bene merentium aut meritorum, quod qui meritis insignes, illorum proventibus veluti pane aluntur. Amplum, non tamen omnium, quae sunt in Polonia iunctisque regionibus indicem, habet *designatio hibernorum exercitus Poloni*, constitut. a. 1717. adiecta (†*). Litvana & quidem, ut videntur, omnia, in *statut. general. Ordinum Litvaniae* a. 1700 (†**) leguntur.

(*) Dlug. IX. 1132.

- (**) Anon. Arch. Gnesnens. T. II. Script. Siles. Sommersbergii p. 100. Dlug. IX. 1161.
- (***) Anon. Arch. Gnesn. p. 118. Dlug. X. 35.
- (****) Dlug. XI. 668. 669.
- (†) Dlug. XIII. 341.
- (†) Lokácsa zimowa wojska T. VI. Constitut. edit. novae p. 339. f.
- (†**) Postanowienie generalne Stanow W. X. Litewskiego pod Olkinikami a. 1700. tit. Taryfa T. VI. Constit. edit. novae p. 530.

§. XXVII.

Habent inter bona regia primum locum capitaneatus, qui latine praefecturae dici possunt, Polonis *starostwa* vocantur, quasi tractus quibus seniores impositi, quod antiquissimis temporibus aetate proveciores praeficiebantur. Horum capitaneatum, alii sunt cum iurisdictione, alii sine iurisdictione, Polonis *starostwa sądowe*, *starostwa niesądowe*. Capitaneatus cum iurisdictione sunt, quorum Capitanei seu Praefecti iudicia nobilium exercent, quae quia in castro seu arce aguntur, castrensi nomen habent, ipsique capitaneatus, castrenses interdum vocantur. Ludovicus Rex, eiusmodi capitaneatus intelligit, quando castra & civitates, *de quibus honores & iudiciales sedes procedunt*, memorat, in quorum numerum ab ipso referuntur, in terra Cracoviensi, Cracovia, Byecz, Sandecz, Vislicza, Voynicz; in Sandomi-

domiriensi Sandomiria, Zavichost, Lublin, Syeczyechov, Lukov, Radom; in Lanciensi, castrum Lanciense; in Siradiensi Piotrkov; in Cuiaviensi Brzeszcze, Kruszvice, Vladislavia; in Polonia maiore Posnania, Myedzyrzecz, Sbanzyn, Calisz, Nakyel, Konin & Pyzdry (*). Sed numerus ille capitaneatum cum iurisdictione multum auctus, cum Litvania & aliae provinciae regno iungerentur. *Cromerus* maioris & minoris Poloniae, capitaneatus qui in Russia, Podolia, Masovia, Belcensi & Plocensi terris, addit (**).

(*) *Lasc. Stat. f. 41. p. 1. Ianusz, Stat. p. 297.*

(**) *De situ Poloniae p. 519.*

§. XXVIII.

Capitaneatus sine iurisdictione sunt, qui eiusmodi arcem seu castrum non continent, in quo iudicia exercentur. Horum numerus amplior est, quam capitaneatum cum iurisdictione, qui sensim crevit, cum qui olim tenuarii, Capitanei vellent dici. Alia est capitaneatum divisio, quando aliqui in iure nostro dicuntur boni proventus, quamvis lex filet summam, quae bonum proventum efficiat, ut Regis & Ordinum sit, legem, si fert occasio, interpretari. Complectuntur autem capitaneatus boni proventus, & qui iurisdictione & qui non iurisdictione gaudent; sunt enim inter posteriores, qui nonnullos priorum redivisibus vincant.

§. XXIX.

§. XXIX.

Tenutis a tenendo nomen, quod qui tenu-
tam habent, tenent aliquid seu possident, di-
xitque Ludovicus in diplomate §. XXVII. ci-
tato, *castrum seu fortalitiu regendum & te-
nendum committere*: & post eum in scriptis il-
lorum temporum, castrum aut oppidum in te-
nutam dare, saepe legimus. Casimirus III. in
Prussorum *privilegio incorporationis*, nominat
castra & tenutas civitatum & locorum, & in
alio illorum privilegio, castra in regimen &
tenutam collata: ut possit colligi, capitanea-
tus sine iurisdictione olim tenutas appellatos
fuisse. Vocatur tenuta Polonis *dzierżawa*
complectiturque agros & vicos, cum in capita-
neatibus etiam arces & oppida sint. Ipsae tenu-
tae inter se differunt, ob redditus quibus aliae
aliis praestant: & tenutas ampliorum proven-
tuum, *lex znaczne*, insignes, vocat.

§. XXX.

Advocatae, quae & scultetiae, tertium bono-
rum regionum genus, Polonis *woyostwa*, capi-
taneatibus & tenutis sunt minores, ut agros a-
liquot iugerum, prata, molas, popinas villas,
vicum aut unum aut plures contineant: sunt
tamen quae tenutas redditibus aequent, non-
nullas etiam superent, quo nomine se in primis
advocata Brombergensis commendat. Ortae
videntur, cum Duces & Reges olim terras in-
cultas privatis concederent, ut ad agricultu-
ram

ram instruerentur, ac villae & vici conderentur, data illis in novos colonos iurisdictione, cum aliquot in usum fructum iugeribus, ac aliis, quibus in commodum suum uterentur (*). Harum aliae capitaneatibus quondam adiectae, ut iam illorum partem efficiant, aliae civitatibus donatae, aliae ad nostram usque aetatem seorsum habitae, eo, quo reliqua bona regia, modo conferuntur. Has capitaneatibus inferi, leges vetant (**), ut etiam Augustus III. sponderet, se advocatias seorsum conferri solitas, Capitaneis non collaturum (**); & intelligendae advocatiae quae intra capitaneatus limites sitae, ne illae loci Capitaneo cedant, quod Capitaneus successor, illas tanquam partes a capitaneatu haud separabiles sibi vindicare posset. Quae ratio cum in advocatiis extra capitaneatum sitis cesset, Capitaneis recte conceduntur.

(*) Conferatur de origine advocatiarum Lubienfcus Oper. p. 208. 209.

(**) Vol. Const. p. 538. tit. O kádukách. Constit. 1620. p. 6. tit. Nagroda.

(***) P. C. Augusti III. §. Toteż waruiemy, ze nie będziemy.

§. XXXI.

Quibus bona regia obvenire debeant, ex superioribus constare potest, ubi simul de illorum & dignitatum candidatis actum. Hic saltem adden-

dendum, quod in Polonia, iam ex statuto Casimiri III. Palatinus in suo palatinatu, & Castellanus in Palatinatu & terra in quo est Castellatus, capitaneatum cum iurisdictione habere nequeat, praeter Palatinum & Castellatum Cracoviensem, quibus simul ibidem Capitaneis esse licet (*): quod statutum Sigismundi I. (**) & constitutio a. 1562. confirmant (***). Idem dicendum de minore dignitate aut magistratu, ut cum eiusmodi capitaneatu, in eadem terra contingere nequeat: quod etiam de ipso palatinatu Cracoviensi intelligi debet (****). In Litvania aliud obtinet, & in Prussia soli Palatini habent capitaneatus cum iurisdictione, ut Palatinus simul in suo Palatinatu capitaneus cum iurisdictione sit (†). Extra suum Palatinatum, etiam in Polonia, Palatini & Castellani cum iurisdictione capitaneatus legitime tenent, in suo autem Palatinatu, capitaneatus sine iurisdictione, tenetas & advocatias.

(*) Lasc. Stat. f. 92. p. 2. Ianusz. Stat. p. 303.

(**) Herburt. Stat. tit. dignitates p. 143. Ianusz. l. c.

(***) Constit. a. 1562. tit. Ośiádłości. Vol. Const. p. 24.

(****) Constit. l. c.

(†) Const. a. 1611. tit. Księgi ziem Pruskich p. 31.

§. XXXII.

In comitiis a. 1662. postulabant foederati exercitus,

citus, ut per vices, uno anno cives togati, altero militares, bona regia reciperent. Quibus Regis nomine responsum, debere singulis annis menses quatuor militibus servire, ut quae illis vacua fierent bona regia, solis qui armis bene meriti obvenirent (*). Sequebatur constitutio, in qua quatuor illi menses nominabantur, ut essent september, october, november, december, quibus bona regia, viris militia conspicuis, habita ratione commendationis Ducum utriusque exercitus, conferenda essent, salvo tamen iure de capitaneatibus cum iurisdictione, non nisi illis, qui in terra illa possessiones habeant, dandis (**). Ex hac causa vocantur leges quatuor illos menses, militares, polonice *miesiące żołnierskie*, quos observatum iri, Augustus II. & Augustus III. in pactis suis declararunt (***)).

(*) Kochov. *Annal. Clim.* III. p. 21.

(**) *Const. a. 1662. p. 10. tit. Gratitude.*

(***) P. C. Augusti II. §. Za honory. Augusti III. §. Miesiące żołnierskie.

§. XXXIII.

Iam antea leges, advocatias militia bene meritis, prae aliis asserunt (*): amplissime autem constitutio a. 1662 (**), ut si alii advocatia cesserit, urgente viro militari, privilegium revocari, & advocatia ipsi conferri debeat. Excipiuntur tamen advocatiae quae in bonis oeconomicis

nomicis aut ad Reginae *reformationem*, quam diu *reformatio* durat, pertinent, & quae civitatibus lege publica, aut Capitaneis iurisdictionem exercentibus, in rem iudicii, collatae. Manet etiam per eandem constitutionem militibus liberum, advocatias regio consensu nobilibus vendere, simul Rex advocatias a plebeis obtentas vacuas declarat, bene meritis militibus dandas, facultatem vero sibi servat, decem advocatias largiendi illis, quibus in negotiis domesticis utitur. In pactis conventis Augusti III. meritorum promiscue haec habetur ratio, ut etiam qui non nobiles tenutas sperare possint, si egregiis factis conspicui fuerint (**): quod in comitiis a. 1736. immutatum, ut ignobiles nullo modo tenutas consequi debeant (****).

(*) Vol. Const. p. 838. tit. O Kádukách. Constitut. a. 1620. p. 6. tit. Nagroda.

(**) Const. a. 1662. p. 15. tit. Deklarácyá.

(***) P. C. Augusti III. §. To teź waruiemy, że przywilciow.

(****) Const. a. 1736. p. 92. tit. Wárunek.

§. XXXIV.

Non autem regia bona in unum cumulanda, sed ea certo numero & modo dispensanda. Capitaneatus cum iurisdictione, singuli singulis conferri possunt, publicatione bonorum & ducentarum marcarum multa in eos, qui suis precibus alterum eiusmodi capitaneatum obtinuerint,

rint, decreta, & ut alterutrum statim dimittant (*). Ratio legis est, quod creditum, non posse unum Capitaneum duobus locis ius dicere. Postea cum Latyczoviae in Podolia iudicium castrense institueretur, placuit, ut Capitaneus Camenecensis simul Latyczoviensis esset (**). Quale exemplum in Siradiensi & Petricoviensi capitaneatibus, memoratam legem praecesserat (***) . A. 1631. in comitiis, *Melchior Weiber* Culmensis Palatinus reus agebatur, quod contra legem, praeter Kovaleviensem dignitati palatinali iunctum, Valcensem, alterum cum iurisdictione capitaneatum, in maiore Polonia haberet; qui defensus, quod Prussi constitutionibus regni haud tenerentur, poena absolvebatur, dabaturque eius meritis, ut utrumque capitaneatum retineret, ne tamen in posterum ullus Palatinorum Prussiae, praeter capitaneatum quem habet qua Palatinus, alium cum iurisdictione reciperet (****). Eo pertinent verba, quae in Augusti III. pactis leguntur, ne, si alicui dignitati capitaneatus castrensis annexus fuerit, sive in hoc sive in alio palatinatu, alter eiusmodi capitaneatus conferatur (+). Possunt tamen capitaneatui castrensi, capitaneatus sine iurisdictione, tentoriae & advocatae addi.

(*) Constit. a. 1562. vol. Const. p. 23. tit. Odwoygu Starostwie.

(**) Vol. Const. p. 376. tit. Grod Látyczowski.

(***) Constit. a. 1557. Vol. Constit. p. 11. §. Za
prosbą ziemie.

(****) Hist. nost. Pruss. T. V. p. 242. 252.

(†) P. C. Augusti III. §. Także iedney ofobie.

§. XXXV.

Quod ad capitaneatus sine iurisdictione, eorum ultra duos qui sunt ampliorum reddituum, ab uno haberi nequeunt (*); salva tamen Regi potestate addendi quorum proventus sunt tenues. Idem de tenuis opimioribus praecipitur (**).

(*) P. C. Augusti II. §. Iedney zās ofobie. P. C. Augusti III. §. Także iedney ofobie.

(**) P. C. Augusti II. & Augusti III. §. citat.

§. XXXVI.

Habent id prae dignitatibus bona regia, quod in ea, Regis consensu, uxor & liberi succedere queant. Ius quod est uxori, succedendi in bona regia quae maritus tenet, appellatur ius *communicativum*, quia mariti ius cum uxore communicatur, ut sola post illius decessum, potestate fruendi bonis gaudeat. Vocatur etiam *advitalitas* uxori concessa, quod ius per omnem eius vitam durat, ut licet ad secunda vota transeat, bona regia ex priore matrimonio retineat, quae etiam alteri marito relinquere potest, si consensus regius praecesserit: sicuti maritus nouo eiusmodi consensu indiget, quando una de-

defuncta, alteri coniugi ius *communicativum* parere cupit. Non debet hoc ius *communicativum* locum habere, in capitaneatibus cum iurisdictione & limitaneis, quia utrisque foeminae per leges arcentur (*). Cum a. 1647. ius *communicativum* etiam ad Palatinatum Podoliae, quem alii pro limitaneo habuerant, extendere-
retur, capitaneatus cum iurisdictione nominatim excipiebantur (**); quod etiam capitaneatus cum iurisdictione hominibus idoneis & ratione vigentibus obvenire debent, tacite foeminae submoventur, quia per sexum & quod ingenium doctrina minus excolunt, iudiciis habendis parum idoneae creduntur: imo Capitanei cum iurisdictione, ob hanc iuris dicendi potestatem, dignitate gaudent, ad quam sexus sequior admitti nequit. Limitanei capitaneatus vocantur, qui in regni limitibus, habebanturque olim in limitaneorum numero tantum qui in Ucraina siti (**): postea etiam, qui in Russiae & Podoliae palatinatibus limitaneis adiciebantur, in quibus ius *communicativum* locum non haberet, & si iam obtentum, irritum esset (****). Hinc illud ius, quod Miączynscii uxori in capitaneatum Krzepicensem contigerat, quia ex limitaneis, per constitutionem tollebatur (†). Viros enim eiusmodi capitaneatus exigunt, qui pro finium securitate excubent, & si quando vis ingruit, defensionis curam agant. Quod ad caetera bona regia, lex antiquior ius *communicativum* ad duo

restringit, five capitaneatus five tenutæ fuerint (†*). Pacta conventa Augusti II. & Augusti III. de capitaneatibus, quibus boni proventus, loquuntur, quorum non plures quam binæ uxoribus iure *communicativo* relinquendi (†**).

(*) P. C. Augusti II. §. Jedney zaśobie. P. C. Augusti III. §. Takze iedney ośobie.

(**) Constit. a. 1647. p. 34. tit. Deklarácya.

(***) Const. a. 1635. p. 27. tit. O stároſtwách.

(****) Constit. a. 1662. p. 9. tit. Dożywoćie ná ſtároſtwách.

(†) Const. a. 1678. p. 13. tit. Dożywoćie.

(†*) Constit. a. 1662. p. 9. tit. O dożywoćiach na Krolewſczyznach.

(†**) P. C. Augusti II. & Augusti III. §. c.

§. XXXVII.

De liberorum in bona regia ſucceſſione notandum, poſſe hoc ius non tantum pro filiis, ſed etiam pro filiabus obtineri, ex legibus autem, quæ uxoribus capitaneatus cum iuriſdictione & limitaneos non permittunt, ſequi, quod ad filias transferri nequeant; filios vero, ſi pro iis ſucceſſio in capitaneatus cum iuriſdictione impetranda, ea ætate & ingenio eſſe debere, ut iudicia exercere valeant (*).

(*) Const. a. 1562. tit. O dożywoćiach. Vol. Const. p. 20.

§. XXXVIII.

§. XXXVIII.

His, quae memoravimus, potestas Regis in conferendis dignitatibus & bonis absolvitur: quando vero bona regia privatis in perpetuum iure hereditario donanda, aut in feudum, aut iure emphyteutico in certos annos, aut in aliquot generationes, aut pignoris loco, redditibus in usuras constitutis, conceduntur, Ordinum consensus in comitiis requiritur. Exempla e constitutionibus collecta *Ladovii* index, cura *Iosephi Andr. Zaluscii* auctus, sub diversis titulis (*) exhibet.

(*) Sub titulis Dobra p. 81. f. p. 96. f. Starostwa p. 509, Sumyp. 515. f.

§. XXXIX.

Largitur Rex dignitates & bona, sed non auferit: possunt tamen delictis, si rei iudicio damnati, amitti. Cum Stephanum iam inauguratum Ordines rogarent, ut in unum alterumque eorum, qui pertinacius Maximiliani Caesaris partes tuerentur, severius animadverteret, Rex *Stan. Czarnkovium* Plocensi capitaneatu multavit (*): qui cum fere solus in suo erga Caesarem studio perstaret ac in Germania abesset, etiam Referendariatu excidit (**). Iudicio in eos, qui contra Sigismundum III. in Maximiliani Archidacis Austriae partibus manserant, constituto, poenam caeteris remissam, solus *Andr. Zborovius*, Mareschalcatu curiae luit (***) .

Tempore Ioannis Casimiri, regni Procancellarius

rius *Hier. Radzeiovius* dignitate sua & vita a Mareschalcali iudicio damnatus; quale decretum in *Georgium Lubomirium*, supremum regni Mareschalcum & minorem exercitus Ducem, in comitiis a. 1664 latum (****): quod tamen Ordines in comitiis electionis a. 1669. irritum declararunt (†). Foedus Golembiense a. 1672 Archiepiscopum Gnesnensem *Prazmovium* dignitate & iure censendi in Senatu, Palatinum Plocensem & Vexilliferum curiae, Archiepiscopi fratres, honoribus & bonis regiis exuit, qui reddita mox intestina concordia, in integrum restituebantur (†*). In foedere Sandomiriensi Ordines eos, qui Regi suo contumaces, publicos hostes declarabant & dignitatibus & bonis exuebant (†**). Regnante Ioanne Casimiro, nonnullis capitaneatus minus legitime & sine decreto iudiciali adempti erant, qui, ut ad priores possessores redirent, in *exorbitantiis* futuro Regi commendabantur (†***).

(*) Heidenst. p. 203.

(**) Heidenst. p. 108. 203.

(***) Vol. Const. p. 471. f. tit. Processus contra rebelles. Heidenst. p. 285.

(****) Kochov, Annal. Clim. I. p. 305. Clim. III. p. 157. Hist. Pruss. T. VII. p. 90, 306, 307.

(†) Porząd, Elekc. a. 1669. p. 10. tit. Deklaracya dekretu.

- (†*) Zaluf. Epist. T. I. p. 409. Constit. a. 1673. tit. Constitutio pacificationis p. 3. §. Gruntuaiaco.
- (†**) Konfederac. Sandom. §. Iako zász zadne Krolestwo, & seqv. Hist. nost. Pol. p. 315. 316.
- (†***) Exorbit. a. 1669. tit. Stárostwá.

§. XL.

Qui ultro munere aliquo se abdicare volunt, Regis consensum exorant, ut nuper *Franc. Bilin-*
scius, iam supremus regni Mareschalcus, qui The-
 saurariatu Prussico, & ante eum Thesaurarius re-
 gni *Maximil. Ossolinus*, qui hoc suo magistratu
 cessit. A. 1735. Rex precibus Principis *Mich. Wis-*
niowiecii annuit, ut magnum Litvaniae sigillum
 redderet, pro quo ipsi suprema exercitus Lit-
 vani praefectura obveniebat, & a. 1724. Prin-
 cept *Cas. Czartoryscius* aetatem vergentem &
 corpus imbecillum excusans, filium in Procan-
 cellariatu Litvaniae successorem habuit, ipse
 ad Vilnensem Castellatum evectus. Tempo-
 re Ioannis III. *Uieyfcus* Episcopatu Kioviensi;
 sub *Stephano Mielecius* exercitus praefectura; &
 regnante Sigismundo Augusto, *Lefzczynius*
 Brestensi palatinatu, se abdicarunt. Bona regia
 pariter Regis consensu in alios transferuntur,
 soletque cedens sibi ab eo, cui cedit, certam pe-
 cuniae summam pacisci: quod usus multis ex-
 emplis docet.

CAP. XII.

De
Aliis Regis iuribus.

§. I. Rex praecipuam Reipublicae curam agit, & cum Ordinibus deliberat ac constituit. Hoc fit in comitiis, quae Rex indicit. Ius in hoc regium Sigismundi III. tempore violatum. Quid Primas Augusto II, regnante ausus sit. Regis auctoritas defenditur & nova lege firmatur. §. II. Non tantum ordinaria sed etiam extraordinaria comitia Rex indicit. §. III. Ipse de quibus in comitiis deliberandum, ante ea, ad Senatores & nobilitatem deferri iubet. Comitia praesente Rege habentur. Exempla comitorum antiquis temporibus absente Rege celebratorum. Comitia indicta, absente per morbum Rege, non habita. Comitia non indicta, quia Rex adesse impediabatur. Detestatur Respublica conventum Rege vetante habitum. §. IV. Rex in comitiis praesens cum Ordinibus agit. Exemplum comitorum coram Rege in lecto decumbente. Abrupta credita comitia, cum Rex nuntiis non consentientibus, ex confessu abiisset. Regum patientia in fine comitorum, quae fistebantur cum in illis Rex moreretur. §. V. Colloquia Senatorum & nobilitatis sine Rege, eius

eius tamen consensu, habita, quae Ioannes III. permittere noluisse dicitur. §. VI. Senatus consilia praesente Rege peraguntur. Ob grave discrimen, a Senatoribus, absente Rege, consultatum. Idem factum legis auctoritate. Senatores sine Rege in acta Regis inquirunt. §. VII. Leges absque Rege non feruntur, quibus etiam eius nomen praenominatur. Quae interregni tempore scribuntur, alio titulo insigniuntur, quam quae Rege imperante. §. VIII. Rex primus legum custos, cives a civium iniuriis tutos praestat. Quid hoc nomine pacta conventa exigant. Mandata regia adversus turbatores. §. IX. Iudicia Regis auctoritate exercentur, qui comitialium & relationum Praeses est. Causae a iudicio assessoriali ad relationum tum remissae tum evocatae. Subvenit illis Rex, qui a iudicio minus legitimo damnati. §. X. Rex vetera privilegia confirmat & nova largitur. Privilegia ne sint iuri communi contraria, & ne in aliorum iniuriam impetrentur. Servitoriatu quid denotet. Civitatum iurisdictio adversus servitoriatum privilegio firmari potest. Exemplum Gedani. Quomodo a Rege nobilitas conferri possit. Antiquorum temporum in hoc diversitas. Exteri Barones Marchiones & Comites creari possunt. §. XI. Rex extra comitia consilio Senatorum in aula residentium & eiusdem ordinis Mi-

X 5

nistro-

nistrorum utitur. Certus numerus Senatorum qui perpetuo in aula versetur. Quando is institutus. Multa in absentes. Quomodo absentia excusari possit. Praesentia intra regni fines, non extra eos. Numerus Senatorum in aula mutatur. Consultis sua nomina subscribunt, & in comitiis rationem sententiarum suarum reddunt. Consultorum lectio in comitiis. Ut in Regis aula praeter Senatores etiam officiales adsint.

§. XII. Senatores residentes penes Regem in comitiis designantur. Quando id primum factum. Designantur etiam comitiis abruptis. Nomina eorum in constitutionibus.

§. XIII. Quomodo Rex Senatores residentes consulat. Quae possint cum iis constitui, & quae ad comitia differenda. Decretorum tribunalium auctoritas.

§. XIV. Regi in minoris momenti negotiis legatos ad externos mittere licet. His iniuncta, tum quae ab iis acta, cum Ordinibus in comitiis communicanda. Legati externi quando a Rege extra comitia audiri & dimitti queant.

§. XV. Praesente in exercitu Rege, penes ipsum est imperium; quod exemplis probatur. Cura exercituum Regi commendatur, ut eos per suos regimentarios regat. Duces exercituum & Regi & Reipublicae fidelitatem iurant.

§. XVI. Solus Rex nobilitatem ad arma evocat. Nobilitatem a Primite in bellum excitam Rex aegre tulit, licet

cet Primatem Regis discrimen excusaret. Primati id interregni tempore licet. §. XVII. Num Regi sine Ordinum consensu extra regnum proficisci permissum sit. Exempla Regum qui hac facultate usi. Potestate in hoc restricta, Sigismundus III. Ordinum consensu in Sueciam se contulit. V. sus prisco iure Vladislaus IV. quod in posterum lege vetitum. Ioannis III. in Austriam & Vngariam expeditio, qui Senatam consuluit, thermas exteras petiturus. Augusto II. lege permissum extra regnum proficisci. Alia lex de certo temporis spatio extra regnum transigendo. Legis sensus. §. XVIII. Ius regium in academiis & aliis scholis instituendis. Facultas creandi Magistros, Licentiatos & Doctores collegio S. I. Posnaniae concessa & revocata. Cur necesse de novis scholis Ordines consulere. §. XIX. Quid statuendum, si de iure regio dubitatur.

§. I.

Hactenus de Regis potestate in conferendis dignitatibus & bonis. Superfunt alia iura, in quorum commemoratione breviores erimus. Rex quasi ad clavum sedens, praecipuam Reipublicae curam gerit, & quoties de eius commodis agendum, Ordines convocat, ut consilia conferant, & una, quod utile sit, constituent. Hinc comitorum, & qui ad comitia praepa-

praeparant, minorum conventuum necessitas, quorum quamvis tempus lege definitum, non tamen Ordines ultro confluunt, sed a Rege, ut veniant, compellendi. Hoc ius Reges omni tempore exercuerunt, neque ab aliis exerceri passi sunt. Sigismundo Augusto comitia a. 1549. neganti, Gnesnensis Archiepiscopus minabatur, se indicturum, cui Rex respondebat, non permissurum, ut quis se invito Ordines convocet: neque Archiepiscopus ius regium atrectare ausus est (*). In quod irruerunt, a quibus regnante Sigismundo III. constituti conventus, ut per seditionem Regi imperium abrogaretur: sed compulsi ad poenitentiam auctores, quam usurpaverant potestatem, ipsi damnarunt. Vidit eiusmodi nefas Augusti II. regnum, cum Primas *Michael Radzeivius* a. 1703. primum Senatores, dein etiam nobilitatem, ad se Varlaviam evocaret, seorsum sine Rege consultaturus; salutem Reipublicae, pacem cum externo hoste, ipsius Principis commodum, speciose obtendens. Questus de iniquitate litteris ad Senatores datis Rex, provocabat ad leges, conventus eiusmodi vetantes, qui Principis auctoritatem & Ordinum concordiam subvertant. Primatem monebat supremus regni Cancellarius, *Zaluscius*, leges hanc potestatem non concedere, *Macieiovium* Archiepiscopum Gnesnensem, compellatum olim a maiori Ordinum parte, ut eiusmodi conventum institueret, respondisse, ne quidem

Se-

Senatum sua auctoritate convocaturum, quod id regii muneris sit. In consilio autem magno Mariaeburgensi, conventus Primatis irritus declaratus, quia in auctoritatis regiae iniuriam, contra leges, consuetudines & priorum temporum exempla indictus (**). A. 1717. certo die comitiis & conventibus constituto, regium ius in convocandis Ordinibus & aliis peragendis, quae minores conventus & comitia praecedere solent, firmabatur (***) .

(*) Biels. Chron. p. 591.

(**) Zaluf. Epist. T. III. p. 385. 386. 406. 407. 420. 452.

(***) Constit. a. 1717. tit. Regulamen p. 54. §. Gwoltczemu.

§. II.

Non modo Rex Ordines ad comitia, quae, quod tempus definitum ordinaria dicuntur, convocat, sed etiam ex Senatorum consilio extraordinaria indicit. Hoc iure Rex ab illo ipso tempore, quo celebrari coeperunt comitia, usus est, imo ante electionem Henrici omnia comitia extraordinaria fuerunt, non certo spatio constituto, intra quod habenda essent. Antiquum hoc Regis ius etiam leges recentiores (*) comprobant.

(*) Vol. Constit. p. 255. §. Seym. Constit. a. 1637. p. 1. 2. a. 1646. p. 7. tit. Seym, a. 1717. tit. Regulamen

lamen p. 54. §. Gwoliczemu. a. 1726. p. 3. tit. Securitas.

§. III.

Illā, de quibus in comitiis deliberandum, consilio Senatorum in aula praesentium Rex constituit, eiusque nomine ad Senatores absentes per litteras, & ad nobilitatem in conventibus minoribus, missis eo legatis, deferuntur (*), ut illi ante comitia singula expendere, nobilitas vero nuntios suos mandatis instruere queat. Comitiam non nisi Rege praesente habere licet, ut Ipse merito Praeses, imo anima comitiorum dicendus sit. Fuerunt tamen antiquioribus temporibus comitia etiam absente Rege celebrata. Regnante Vladislao Jagellone, a. 1423. & 1426. in oppido Varta, sine Rege (**); & Jagellonis filio Vladislao in Vngaria agente, a. 1442. Petricoviae & Siradiae, ac sequenti anno iterum Petricoviae, quo legatus regius veniebat, comitia peragebantur (***). Alexander ob negotia magni ducatus in Litvania absens, indicta a se a. 1503. comitia celebrari voluit, nominatis qui praesiderent Senatoribus, & quae ab Ordinibus constituta probavit (****). A. 1534. Sigismundo I. Vilnae degente, Poloni Petricoviae habuerunt comitia, & a se decreta, ad Regem in Litvaniam, ut rata haberet, miserunt (†). Sigismundo I. iterum in Litvania absente, a. 1542. pariter Petricoviae comitia fuerunt, duobus legatis a Rege praesentibus,

bus, & quae decreta, ad ipsum missis ex utroque ordine deferebantur (†*). Sed hoc olim, hodie non obtinet: neque post memoratum a. 1542. celebratorum absente Rege comitiorum exemplum historia exhibet. A. 1693. iam ad comitia Varsaviam confluxerant Ordines, cum ipsis Regis morbus Zolkieviae decumbentis nunciaretur, qua ex causa, comitiis ne quidem inchoatis, discesserunt (†**). Indicta a. 1728. Grodnam comitia, ob Augusti II. absentiam, quem valetudo minus commoda in Saxonia detinebat, haberi non poterant, & Ordines peractis iam passim conventibus minoribus, ne Grodnam frustra adirent, litteris monebantur. Praesenti anno 1742. comitia ordinaria, quod per gravissima, quibus in Germania distinebatur negotia, Regi adesse non licebat, ex Senatus consilio magna Procerum frequentia Fraustadii habito, in aliud tempus differri placuit. Merito ergo conventum, a Principe *Radzeio* a. 1704. vetante Rege, ad externi Principis arbitrium, cum paucis Senatorii & equestris ordinis, Varsaviae habitum, Respublica detestabatur (†***), omnia in illa acta, tum quae ex illo tanquam ex aliquo fonte derivata, irrita declarans (†****).

(*) Constit. a. 1717. l. c.

(**) Dlug. XI. 472. 489.

(***) Dlug. XII. 773. Biels. Chr. p. 371. 376.

(****)

(****) Lasco Stat. f. 111. p. 1.

(†) Biels. Chron. p. 571.

(†*) Bielsc. Chron. p. 583.

(†**) Zal. Epist. T. I. part. II. p. 1302. f.

(†***) Konfederac. Sandom. §. Iákozáš zadne.

(†****) Poparcie General. Sandomirskiej Konfeder.
a. 1710. p. 2. 3. tit. Ubešpieczenie.

§. IV.

Exigitur Regis praesentia in comitiis, non omni quo aguntur tempore, sed tum saltem, quando uterque Ordo in conclavi Senatorio congregatus, Rempublicam sistit. Nobilitate seorsum, aut in Mareschalci sui electione occupata, aut de iis quae constituenda deliberante, Rex cum toto Senatu abest; nisi interea iudicia comitialia exerceanur. Nihil ergo ad Ordines referri, nihil ab illis decerni potest, nisi Rege praesente, qui cum illis Cancellarii ore agit. Aeger ex feбри, iacebat in palatio Iasdoviensi sub Varavia Ioannes Casimirus, cum a. 1652. iterum haberentur comitia, quorum initio, nobilitatis nuntii se in palatium conferebant. Ibi sedentibus in conclavi ante cubiculum Senatoribus, Rex in lecto apertis foribus nuntiorum Mareschalcum audiebat, & ea de quibus deliberandum, per Procancellarium ad Ordines referebat. Hi quidem in arce Varaviensi consulta-bant, sed peractis consiliis palatium repetebatur, ubi

ubi coram Rege in lecto cubante, quae placebant, constitutis, finis comitiis imponebatur (*). Idem Ioannes Casimirus, paulo ante suam abdicationem a. 1668. protractis in noctem consultationibus, taedio morae, ex confesso Ordinum in suum conclave, non consentientibus nuntiis, discedebat, quod hi ita interpretabantur, ac si a Rege comitia abrupta essent (**). Hinc Reges, ubi in fine laborant comitia, per totam noctem in diem sequentem remanere solent, ut consilia in usum Reipublicae terminentur: ob quam causam memoratus Ioannes Casimirus de vita sedentaria questus, qua liberari exoptaret. Inchoata a. 1733. comitia, statim desinebant, cum electo Mareschalco nuntiorum, Augustus II. in palatio suburbano exspiraret.

(*) Histor. nost. Pruss. T. VII. p. 93. 94.

(**) Histor. Pr. T. c. p. 332.

§. V.

Sunt tamen exempla collatorum, dum comitia haberentur, ab Ordinibus sine Rege consiliorum, eo prius rogato, ut huius rei faceret copiam. Si enim non omnia ex legum praescripto fierent, maiusque discrimen iuribus imminere videretur, crediderunt Ordines, deliberandum esse Rege absente, ut liberius censendi potestas esset, & Rex omnium nomine moneatur, quo, si quod inde odium, non unum alterumque,

rumque, sed omnes premeret. Obtinuit eiusmodi cum Senatoribus consultationes a Sigismundo Augusto nobilitas (*). Fuerunt etiam Sigismundo III. (**) & Vladislao IV (***) regnantibus. Imo Sigismundus III. a. 1607. hanc facultatem Ordinibus ultro concessit (****), quam Ioannes III. toto suo regno, etiam rogatus, negasse dicitur (†).

(*) Orichov. T. II. Dlugoff, p. 1491. 1504.

(**) Heidenst. p. 293. 300.

(***) Histor. Pruss. T. VI. p. 245.

(****) Lubienfc. Oper. p. 114. 115.

(†) Zal. Epist. T. III. p. 420.

§. VI.

Quod de comitiis dictum, Ordines ad ea a Rege vocari, eademque praesente Rege haberi, idem de Senatus consiliis dicendum. Ex hac causa Augustus II. per sua negotia in Saxonia absens, rediit in Poloniam, quoties cum Senatoribus antea vocatis consultandum, delecto ad id Fraustadio, maioris Poloniae in finibus civitate. Idem fit a Sacra Regia Maestate, hodie in publicam felicitatem regnante. Sigismundo I. in Litvania, a. 1516. Palatinus Cracoviensis, ob imminens a Tattaris discrimen, cum Senatoribus deliberavit: quod necessitate & tacito Regis consensu, cuius gratia Palatinus florebat, excusari poterat (*). Sigismundo III. in Suecia agente,

agente, Archiepiscopus Gnesnensis, ad audien-
dam legationem Caesaris, a. 1594. Senatores ad-
vocavit, quam ipsi facultatem lex in proximis
comitiis lata dederat (**). Rege Ioanne III. cum
exercitu suo ab hostibus cincto, Primas cum Se-
natoribus consilia conferebat, vocatis qui ab-
sentes erant Varfaviati. Sed Primatem defende-
bat discrimen, in quo cum Rege totum regnum
versabatur, quem Regina etiam rogaverat, ut
suo consilio rebus afflictis subveniret (***)
Singularis est, Senatum in comitiis a. 1592. per
totum diem, clausis foribus, sine Rege delibe-
rasse, ex ea ratione, ut in illius actiones in-
quireretur (****).

(*) Fragmentum Vapovii Cromerò adiectum p. 566.
Bielsc. Chron. p. 535.

(**) Heidenst. p. 304. Vol. Constit. p. 636. tit. O
postach.

(***) Zal. Ep. T. I. p. 662. 690. 691.

(****) Heidenst. p. 299.

§. VII.

Quae in comitiis & senatus consiliis decer-
nuntur, Regis titulum praeferunt, eiusque no-
mine edicuntur: quod omni tempore usu serva-
tum. Satis id comprobatur, non posse sine Regis
auctoritate, dum vivit & regno praest, leges
ferri, multo minus aliquid in eum statui, qua-
le facinus ausi, quibus factio adversus Augustum
II. sociaverat. Ordinum etiam ea est modestia,

ut constitutionum nomen solis legibus relinquunt, quae Regum tempore sanciantur, ea autem, quae interregnis ipsi decernunt, *confederationum & ordinationum* vocabulis insigniant.

§. VIII.

Recte etiam Regi praecipua legum cura vindicatur, ut vigeant & omnia ad illarum mentem peragantur. Cum enim in leges iuravit, simul recepit, se provisurum, ne ab aliis negligantur violenturque, & quia leges cives a civium iniuriis tutos praestant, diserte in pactis suis Augustus II. & Augustus III. sponderunt, se non laturos, ut potentior minori gravis sit (*); addiditque prior, se non ex animo dimissurum, quod Rex datus in subsidium oppressis, illis scilicet, quos potentior & maior opprimere possit. Hinc Rex perfugium est illorum, quibus cives opibus validiores molesti sunt, subvenitque suis mandatis, tum ad turbatores, tum ad eos, quorum est turbatores coercere.

(*) P. C. Augusti II. circa finem §. 1. Rady Koronne. P. C. Augusti III. §. Zachowuiac prerogative.

§. IX.

Iudicia Regis nomine exercentur, hinc defuncto Rege ordinaria cessant, & extraordinaria, quae *capturalia*, instituuntur, ut supra lib. II. c. 3. §. 5. dictum, & reditur ad ordinaria, simul ac edicto constat, Regem esse inauguratum, quod

quod ex c. 5. §. 19. patet. Comitibus & *relationum* iudiciis ipse Rex praesidet, reliqua illo absente habentur. Causae illo ordine iudicantur, quo in indice, *regestrum* vulgo appellatur, sunt scriptae, & decreta fiunt, ut maior pars eorum, qui Regi assident, censuit (*). Interdum causae a iudicio tribunalitio & assessoriali ultro ad Regem remittuntur, si maximi momenti fuerint, aut iudices decernere nolint. Nonnunquam Rex a iudicio *assessoriali* ad *relationum* causam evocat, ut praesens cognoscat iudicetque. Illos qui a iudicio citati, coram quo forum non habent, Regis auctoritas a iurisdictione tuetur: etiam decretum iam latum suspendit, commeatu, seu *salvo conductu*, ad agendum damnatis dato.

(*) P. C. Michaelis, Ioannis III. Augusti II. Augusti III. §. Na Szdach scymowch.

(**) P. C. Augusti III. §. Iudicata quorumvis.

§. X.

Non solum Rex providet, ne civibus fiat iniuria & ut illata vindicetur, sed etiam nova iura, tum singulis, tum collegiis, tum civitatibus ac aliis, aut primus confert, aut collata olim, confirmat. Pertinent eo privilegia regia, quae neque iuri communi Poloniae & Litvaniae contraria esse, nec in aliorum iniuriam, Rege ignaro, impetrari debent. Prioris generis, in regio iureiurando & confirmationibus iurium generalibus habentur

pro iis quæ Regem minus obligant, & Augustus III. in suis pactis, privilegia publica & privatorum tueri promisit, in quantum iuri publico & legibus non repugnant (*). Si vero in aliorum damnum impetratum privilegium, qui impetravit, in ius vocatur ut privilegium reddat. Privilegia hæc, non sunt unius, sed varii generis, quæ enumerare opus non est, saltem illorum mentionem faciam, quibus *servitoriatu*s, nobilitas, & ampliores tituli conferuntur. *Servitoriatu*s datur iis, qui non nobiles, quo in peculiare Regis patrocinium recepti, inferiorum magistratum iurisdictione eximuntur, ut non nisi coram Rege eiusque iudicio respondere debeant (**). Qui tamen *servitoriatu*s, iurisdictionem illarum civitatum minuere nequit, quibus illa regii privilegii etiam adversus *servitoriatu*m integra asserta; quod Gedano per *tractatum portorii* a. 1585. contigit (***)). Nobilitatem ita potest Rex largiri, ut qui impetravit eiusque posterum nomen habeant nobilium. Quod enim ad iura, quibus nobiles indigenæ in Polonia utuntur, ea illis obveniunt, qui consensu Ordinum in comitiis ad nobilitatem admissi. Antiquis temporibus non solum titulum, sed cum titulo & iura nobilium Rex largiebatur, verum a. 1578. lex lata, ut nobiles in comitiis Senatu concilio, aut in exercitu ob res fortiter & egregie gestas, creentur (****). Quod ad Baronum, Marchionum & Comitum nomina, his Poloniam nobilitatem condecorari leges no-

lunt

lignæ (+); sed servatur illa honoris accessio exteris, succurritque exemplum *Alexandri Salloroli* Itali, Regis Theologi & apud Papam Ministri, quem cum fratribus & tota familia Augustus II. a. 1709. ad dignitatem Marchionum e-vexit. (+*); quo titulo Ioannes III. Matefilanum, medicum Bononiensem, exornavit (+**).

- (*) P. C. Augusti III. §. Przywileic wszystkie.
- (**) Duo servitoriatu diplomata regia existant, ubi vix quaererentur, in epistolis Mart. Ruari cent. altera p. 414. 417.
- (***) Tractat. portorii §. A iurisdictione. Curickii Chron. Gedan. p. 167.
- (****) Vol. Constit. p. 334. tit. Plebeiorum nobilitatio.
- (†) Comment. nost. ad P. C. Augusti III. p. 17.
- (†) Zalus. Epist. T. III. p. 500. ubi ipsum diploma collati Marchionatus, adscriptis Senatorum & nobilium praesentium nominibus, sub sigillo maiestatis exhibetur.
- (††) Zal. Ep. T. I. p. 708.

§. XI.

Quia Rex in omnia, quae fiunt, intentus, & ipsi extra comitia Ordines consulendi nulla copia est, habet circa se, praeter Ministros praecipuos, aliquot Senatores, quorum consilio utatur. Iam Sigismundus Augustus nihil decernere voluit, nisi de quo cum Senatoribus com-

municasset (*). Post illum Henricus suo & successorum nomine promisit, sine Senatorum utriusque gentis consilio, in negotiis Reipublicae haud aliquid statuere (**): & ut praeter Ministros, semper in aula essent, quos Rex consuleret, simul provisum, in singulis comitiis sedecim Senatores, eo ordine, quo in Senatu sedent, designare, ex quibus quaterni, unus Episcopus, unus Palatinus & duo Castellani, per medium annum adessent, singulis quingentorum florenorum constituto salario, praeter Polonos Episcopos, ob largiores quos habent redditus (***). A. 1607. lex iussit, Senatores quatuor hebdomadibus post comitiis in aula adesse, & absentes mille marcis multare, Senatoribus saecularibus summam duplicem & dignitatis amissionem, ecclesiasticis sex marcarum millia irrogans, nisi multam certo tempore solverint. Eadem lex permisit Senatoribus abesse, si legitimum impedimentum fuerit, quod ab illis in comitiis statim post nominationem indicandum; simul voluit, ut praesentes cum Ministris utriusque gentis, de publicis negotiis consultarent, scriptis a cancellaria consultis sua nomina apponerent, & in sequentibus comitiis, suorum consiliorum rationem redderent (****). Ad nobilitatis postulationem a. 1609. Senatoribus saecularibus ob absentiam multa duplicabatur, & cum eo tempore quidam iustam sui excusationem afferrent, Rex pro illis alios nominabat. Non tamen Senatores hi obstricti sunt, Regem in
exteris

exteris terras sequi, sed eorum praesentia saltem intra Regni & Litvaniae fines exigitur (†). Numerus horum Senatorum a. 1641 mutatus, ut ab illo tempore ad praesentem aetatem, in duos annos viginti octo, quatuor Episcopi, octo Palatini & sedecim Castellani, singuli Episcopi in medium annum, singuli Palatini & bini Castellani in tres menses designentur. Habetur etiam pro sola legitima causa, per quam plane abesse possit Senator, morbus, qui coram Ordinibus, in proximis comitiis, tacto pectore, iurisiurandi loco, probandus. Liber tamen poena habetur, quem belli tempore propter militiam abesse oportuit. Vult eadem lex anni 1641. ut consultis etiam nomina Senatorum & Ministrorum praesentium a cancellaria praeponantur, Senatores ac Ministri subscribant, & consulta in sequentibus comitiis, post Senatorum sententias publice legantur, ut si quid contra regiam dignitatem aut publicum ius decretum, ratio reddatur: quam non minus ac lectionem, nobilitatis nuntii postulare possunt, nisi utrumque ultro fiat (†*). In *Tractatu Varsaviensi* a. 1716. iniungitur Cancellariis, diligenter attendere, ut praeter Senatores, magni Secretarii, Referendarii, Notarii aliique officiales in aula praesentes sint, non alia excusatione, nisi ob morbum aut negotium aliquod publicum, admittenda (†**).

(*) Prilus. Stat. p. 23.

(**) Vol. Constit. p. 253. §. A w sprawach.

- (***) Vol. Constit. p. 254. 255. §. Czesło fr.
- (****) Vol. Constit. p. 830. 831. tit. O mieszka-
niu Senatorow.
- (†) Vol. Const. p. 889. 890. tit. O mieszka. Senat.
- (†*) Constit. a. 1641. p. 3. 4. tit. de reddenda
ratione. Exorbit. a. 1669. tit. de secretis con-
siliis. Constit. a. 1717. p. 66. tit. Reassumptio.
- (†**) Constit. a. 1717. p. 12. §. Dada y na to.

§. XII.

Itaque Rex, dum est in Polonia, nunquam consilio Senatorum destituitur, primique Senatores *residentes*, hoc enim nomen datur illis qui in aula versantur, in comitiis post Stephani inaugurationem a. 1576. designati (*), quod ab illo tempore usu servatum, illorumque nomina, cum intervallo quod circa Regem transigere debent, ad finem constitutionum Polonicarum (**), ante Litvanas, leguntur. Designantur etiam Senatores *residentes*, licet comitia abrumpanur, quia semper Regi adesse lex iubet, & qui adfuerunt, ad longius tempus non obligantur. Num autem constitutum olim salarium adhuc recipiant, pro certo affirmare vix possum, neque historia exemplum Senatoris ob absentiam pecunia multati memorat.

(*) Heidenst. p. 99. ubi tamen pro sex, legendum sedecim.

(**) Sub titulo; Resydenci do hoku. Illorum nomina

nomina & cuiusque tempus *primum* in constit. a. 1607. tit. O mieszkaniu Senatorow. Vol. Constit. p. 830. leguntur.

§. XIII.

Quae extra tempus comitorum incidunt, Rex cum his Senatoribus *residentibus*, Ministrisque eiusdem ordinis expendit. Refert de iis, Rege praesente, Cancellarius, ac Senatores Ministrique censent. Si diversae sententiae, pluralitas obtinet, modo ne fit aequitati & legibus adversa (*). Vetat autem lex eiusmodi consilia statim & vestigio absolvere, sed vult ut singula diligenter examinentur (**). Nihil tamen potest constitui de iis quae omnium Ordinum consensum deprecant (***) ; Illa enim comitiis servantur, & si moram ad ordinaria usque non ferunt, extraordinaria decernuntur. Quo pertinent omnia ea, quibus Respublica ad novi quid obliganda, aut id quod olim placuit immutandum, aut improvisum malum praesens remedium flagitat. Praeter haec vetitum, decreta Tribunalitia aut plane tollere, aut executionem suspendere (****).

(*) Tract. Varf. a. 1716. in Constit. a. 1717. p. 12. §. Dadza y na to. Constit. a 1717. p. 66. tit. Reassumptio. Exorbit. a. 1669. tit. De secretis consiliis.

(**) Tractat. Varfav. l. c.

(***)

(***) *Tractat. Varf. l. c. Vol. Constit. p. 253. §. A w Sprawcch,*

(****) *Tract. Varf. l. c.*

§. XIV.

Hoc suo consilio conscio, Rex in negotiis minoris momenti, ex quibus nullum damnum aut molestia in Rempublicam derivari queat, ad exteros legatos mittere potest, sed nobiles indigenas & possessionibus gaudentes. Quae his mandata, Senatorum consultis inferenda sunt, & in proximis comitiis, coram Ordinibus a Cancellario recitanda, ubi etiam legati quae peregerint scripto exhibere, & si Ordines postulant, iurare debent, se praeter sibi mandata, de nullo negotio egisse (*). Quod ad exterorum Principum oratores, si ad solum Regem, ob res de quibus Regi statuere licet, missi, adhibitis Senatoribus *residentibus* audiuntur ac dimittuntur (**); si vero & coram Ordinibus mandata exponere volunt, aut negotium, cuius causa venerunt, tanti momenti est, ut Ordinum consensu opus sit, exspectanda illis sunt comitia: necessitate autem hanc moram non ferente, possunt ex sententia eorundem Senatorum dimitti (***)).

(*) P. C. Michaelis, Ioannis III. Augusti II. §. To też wárujemy. P. C. Augusti III. §. Postów w legacyach,

(**)

(**) Vol. Constit. p. 253. §. A w sprawach.

(**) P. C. Augusti III. §. c.

§. XV.

Quoties Rex belli tempore exercitum in hostem ducit, penes ipsum est imperium, ac Duces supremi & minores legatorum munia obeunt. Id usus isque perpetuus docet, qui ex historia cognoscitur, ubi Regum expeditiones memorantur. Omitto tempora, quibus Principum in omni regimine solutior erat potestas: Stephani & successorum ad nostram usque aetatem exempla demonstrant, penes Regem, quando in expeditionem profectus, praecipuas fuisse partes: ipsum copias lustrasse; castris locum, itineri tempus constituisse; militari consilio praesidisse; aciem instruxisse; signum & mandata dedisse; milites in hiberna dimisisse, & alia quae fieri solent, illius auspiciis acta esse. Cum sine a. 1674. supremus exercitus Litvani Dux, contra Regis imperium cum parte copiarum abiisset, creditum, primum hoc sine Regis praesentis missione, militaris discessus esse exemplum, idque in auctores severe vindicandum, nec fore ullum qui tantum nefas probaturus sit (*). Ordinatis a. 1716. alio modo exercitibus Ducumque auctoritate circumscripta, Regis curae commendatum, quicquid in hanc rem constitutum, tueri, & ut efficiatur, providere, simul exercitus per legatos, *Regimentarios* vulgo, ab ipso creatos regere; donec Duces ad
novam

novam formulam iuraverint (**). Eadem haec formula firmat Regis imperium militare, qua Duces, & Regi & Reipublicae ad fidelitatem se obstringunt (***) .

(*) Zaluf. Epist. T. II. p. 644 - 646.

(**) Tract. Varf. a. 1716. in Constit. a. 1717. p. 43. §. A po takowym.

(***) Tract. Varf. in Constit. c. p. 31. 34.

§. XVI.

Ad bellum pertinet, evocare nobilitatem in generalem expeditionem, quae *pospolite ruszenie* nostratibus dicitur. Hoc ab alio nisi a Rege fieri haud potest, ita tamen ut Ordinum consensus in comitiis praecedat, nobilitatem ad arma exciendam esse (*). A. 1676. Rege cum exercitu in castris suis prope Leopolim a Turcis Tattarisque undique cincto, Primas ex Senatorum Varaviae praesentium consilio, suis litteris evocabat nobilitatem, & bene gnarus id sibi non licere, excusabat hoc suum factum extrema necessitate, & quod speraret, Regem id ratum habiturum (**). Sed Rex aegre tulit, suum ius a Primate usurpatum, ut etiam periculum quod adierat minus crederet, quam ut tanto impendio sua salus redimi debuisset (***) . Non opus esse existimo, multis monere, interregni tempore nobilitatem ad arma recte a Primate vocari, quod id ex superioribus facile colligi potest, ubi mortuo Rege praecipuam auctoritatem

rem penes Primatem esse, & Ordines etiam tum, si e re fuerit, generalem nobilitatis expeditionem decernere, exposui (****). Quod autem ad ipsam hanc expeditionem, de ea suo loco agetur.

(*) Vol. Constit. p. 208. §. Naprzod. p. 254. §. Owojnie.

(**) Zal. Ep. T. I. p. 662. 691.

(***) Zal. l. c. p. 691. T. III. p. 5.

(****) Lib. II. c. 3. §. 2. 19.

§. XVII.

Super memorata iura, Augusto II. lege concessum, per intervalla in Saxonia abesse, idque pro Successore Augusto III. repetitum: cum antea Regi sine Ordinum aut Senatorum consensu regno exire haud liceret. Priscis quidem temporibus, Reges in hoc liberius egerunt, cum Casimirus M. Teutonici ordinis Magistrum in Prussia; Vladislaus Jagello Caesarem Sigismundum in Vngaria, neque Ordinibus neque solo Senatu consulto, inviserent; & Ludovicus fere perpetuo in Vngaria aberet. Postea tamen hoc secus se habebat. Sigismundus I. a. 1515. consensu Senatorum in Ungariam & Viennam proficiscebatur (*). In pactis conventis Sigimundi III. provisum, ut si post patris obitum, eius praesentia in Svecia exigeretur, eo se Ordinum consensu conferret (**): qui eodem modo patrem vivum a. 1589. Revaliae invisit (***) neque aliter

aliter bis in Sveciam a. 1593. & 1598. traiecit, reditu antea litteris promisso (****). Sigismundi III. filius, Vlădislaus IV. Ordinibus inſciis, in Auſtriam ad Badenſes thermas, valetudinis cauſa a. 1638. iuit (†); quod cum his diſpliceret, a. 1641. perpetua lege cautum, ſine declarato omnium Ordinum conſenſu, ultra regni fines non proficiſci (†*). Abiit Ioannes III. cum integro exercitu, Viennae opem laturus, & hac liberata in Ungariam; ſed abiit ex foedere, Ordinum voluntate cum Caefare conſtituto. Idem ob corporis languorem fontes calidos extra regnum a. 1696. petiturus, retulit de ſuo propoſito ad Senatus conſilium, & cunctis qui aderant probantibus (†**), mors interceſſit. Poſt eius obitum, Poloniae Auguſtus II. qui Elector Saxoniae, Rex contingebat, cuius praefentia terrae hereditariae non ita carere poterant, ut perpetuo abeſſet. Hinc nonnunquam excurrebat in Saxoniam, brevi in Poloniam redux, ſ; nulloque ex abſentia Reipublicae incommodo. Secuta lex in comitiis Lublinenſibus a. 1703. qua Ordines conſenſerunt, vt Rex conſulendo valetudini, quamprimum pax reſtituta eſſet, Senatorum & aulicorum Poloniae ac Litvaniae comitatu extra regnum proficiſci poſſet (†***). Per Varſavienſem tractatum a. 1716. facta poteſtas, finitis comitiis, quovis anno tres, aut quovis biennio ſex meſes in Saxonia degendi, ſalva conſtitutione a. 1703, ſi valetudo vel accelerare illuc iter, vel longius ibi morari

morari adigeret (†***). Hac constitutione & Varfaviensi tractatu, pacta conventa Augusti III. nituntur, dum eandem Regi abeundi in Saxoniam potestatem servant (†). Sed non tantum propter valetudinem, verum etiam propter publicam Saxoniae salutem, & quae hanc spectant negotia, ante comitia iter ingredi, & ultra constitutum tempus ibidem manere Regi licet, in primis si nullum inde regnum damnus, aut sentiat, aut metuendum habeat: esset enim nimis dura lex, si iuberet, nullo Polonorum emolumento, Saxoniam negligere, idque a pietate civium alienum, Regem a terris suis haereditarius avellere, ubi praesentis opem flagitant. Longius interdum tempus, quam exprimit lex, Augustum II. & Augustum III. modo Saxoniae, modo totius Germaniae salus extra Poloniam detinuit, sed tum demum, cum pace externa & domestica firmata, id unum superesset, ut Poloni sua felicitate etiam absente Rege fruerentur.

(*) Biels. Chr. p. 529.

(**) P. C. Sigismundi III. §. Primo & ante omnia.

(***) Heidenst. p. 285. Piascc. p. 75.

(****) Heidenst. p. 303. 343. Piascc. p. 109, 156.

Vol. Const. p. 635. initio constit. a. 1593. p. 686.

initio constit. a. 1598.

(†) Piascc. p. 503.

- (†) **Constit. a. 1641. p. 4. tit. O dzieździe.**
- (†**) **Zaluf. Ep. T. II. p. 1.**
- (†***) **Const. a. 1709. p. 19. tit. Pozwolenie.**
- (†****) **Const. a. 1717. p. 10. §. Niemniey.**
- (‡) **P. C. Augusti III. §. A ponieważ państwo.**

§. XVIII.

Neque regium ius in academiis & aliis scholis instituendis filendum est. Cracoviensis academia Vladislao Jagelloni debetur, a quo & successoribus, redditus & privilegia, quae ampla sunt, recepit, quae sibi Ordines habuerunt commendatissima, ut in comitiis legibus & Regum patris conventis firmari curarent (*). Vilnensem a. 1579 Stephanus instituit, huiusque auctoritate, etiam Polocense collegium ortum (**). Antea Sigismundi I. consensu Posnaniae, sumtibus *Lubranscii* loci illius Episcopi, Gymnasium academicum coepit, & Ioannes III. cum collegio S. L. quod in eadem est civitate, facultatem creandi in Theologia & Philosophia *Baccalaureos, Magistros, Licentiatos & Doctores* concessisset, in gratiam illius Gymnasii, quod sub cura academiae Cracoviensis est, privilegium hoc revocavit (***). Quoniam vero eiusmodi publicae scholae, redditus, sive ex bonis regiis sive oeconomicis constituendos, exigunt, in hoc vero potestas Regis est restricta, etiam de academiis Ordines consulendi ut si probarent, pariter sumtus prospicerent. **Exempla aliarum scholarum**

rum Ordinum consensu institutatum, in *indice Ladoviano* tit. *Fundacye* leguntur.

- (*) Zala'z. Iur. R. Pol. T. I. p. 566. s. *Commentar.* noſt. ad P. C. Auguſti III. p. 103. 104.
- (**) Sulicov. Com. rer. pol. p. 121. 123.
- (***) Zalaſz. I. R. P. T. I. p. 609. 613.

§. XIX.

Haec de iuribus, quae Rex exercet, ſufficiant. Si inciderent alia quae non attigimus, eſſetque dubium, utrum Rex per ſe, an vero Ordinum conſenſu ſtatueret poſſet; crederem, ſilente lege, rationem pro Rege militare, ut in eo po- teſtas eſſet integra, in quo neque lex ſcripta, neque uſus eandem reſtrinxiffet. Aucto- ritas enim Regis antiquior eſt Ordinum, cum quibus non tota, ſed partes quaedam, ſenſim & per intervalla temporum communicatae, ut vi- deamur recte colligere poſſe, Regi manſiſſe in- tegrum, in cuius communionem Ordines non venerint.

CAP. XIII.

De

Religione qua Regi civium
iura ſervanda.

§. I. Civium iura non unius generis. Omnia a Re-
ge ſervanda. Unde illa obligatio.

Z 2

§. II.
Civium

Civium fides & obsequium huic Regis obligationi iuncta, quod Henrico displicuit. Poloni legati explicant Henrico, quando Rex iura non servasse dicendus, & cives a fide & obsequio liberi habendi. Explicatio repetitur & legibus inseritur. §. III. Sigismundi III. regnum turbatum, cum multi crederent, Regi ob non servata iura, obsequium negari posse. Rex, si iurium immemor, monendus. Quomodo & quoties hoc fieri debeat. Nova lex de monendi modis, quibus neglectis, adversus Regem turbas excitare, crimen habetur. §. IV. Conditio de non praestanda obedientia, pactis conventis adiecta. Mentio constitutionum quibus conditio explicatur. Eadem mentio in iureiurando regio. §. V. Iudicium de hac condicione. An illa durior dicenda. Num cives ad necessitatem exuendi fidem & obsequium unquam redacti. Quid de nonnullorum facto adversus Sigismundum III. sentiendum. Ausa quorundam contra Augustum II. in quos foedus Sandomiriense animadvertit.

§. I.

Dictum alio loco (*), Regis imperium legibus esse restrictum. Ex his legibus oriuntur civium iura, quae vel sunt generalia, quod omnibus, vel specialia, quia nonnullis saltem aut singulis serviunt. Generalia sunt potiora, ac regiminis formam constituunt, eaque tractationis

tionis nostrae libro quarto exponentur. Specialia minoris habentur momenti, in hoc tamen generalibus paria, quod a Rege eadem religione ac generalia servanda. Id patet ex Regum iureiurando in ipsa inauguratione, & iurium confirmatione generali post inaugurationem (**), imo ex ipsis illorum pactis conventis, quae ab Henrici tempore, hac Regum obligatione finiunt.

(*) Lib. II. c. 1. §. 1.

(**) Lib. II. c. 5. §. 10. 18.

§. II.

Quo autem huic obligationi maior vis accederet, post electionem Henrici, ad calcem *articulorum Henricianorum*, fuit adiectum, ut si quid Rex contra iura, immunitates, *articulos*, pacta egerit, aut aliquid non impleverit, incolae regni utriusque gentis ab obedientia & fide Regi debita liberi essent (*): & in forma iuriurandi regii, incolae regni omniumque terrarum, ipso facto ab omni fide & obedientia liberi declarabantur, si Rex iusiurandum suum violaret (**). Displicebat haec conditio Henrico, cum ipsi a legatis Polonis Parisiis proponeretur, ac de ea disceptabatur, donec legati illam scripto suis sigillis munito explicarent: iura & immunitates non violatas existimandas esse, si per errorem humanum Rex contra eas aliquid admitteret, sed si volens & sciens, iura

& immunitates vi opprimeret, aut per contem-
tum & temeritatem in dubium vocaret, ut ad-
monitione Senatus Ordinumque nihil effici posset.
Postulabat quidem Rex; ut conditio iuriiurando
plane eximeretur, sed legati formulam Ordinum
consensu scriptam, a se mutari posse negabant (**).
Manlit inde haec conditio in iureiurando,
non tantum Henrici, sed etiam successorum,
qui omnes eandem in sua inauguratione repetierunt:
quae cum non minus Stephano, quam ante eum
Henrico, dura & turbis occasionem datura
videretur, ipsi eodem modo, quo nuper Henrico,
ab Ordinum legatis in Transilvania, & postea
publica lege, in comitiis post inaugurationem
a. 1576. explicabatur (****); ut pariter futuris
Regibus, tum ipsis civibus, quae mens Reipublicae
esset, constaret.

(*) Vol. Constit. p. 257. §. Kondycyc wszystkie.

(**) Vol. Const. p. 227.

(***) Heidenst. p. 40.

(****) Vol. Const. p. 279. tit. Declaratio articuli de obedientia.

§. III.

Non carebat Sigismundi III. regnum turbis, ab illis concitatis, qui Regem iurium non servatorum arguentes, legis auctoritate obsequium exui posse credebant. Quorum contumacia ne in exemplum iret, veteri legi, a. 1607. modulus, qui in monendo Rege tenendus esset, ad-
iucie-

iicibatur: ut, si satis constaret ac probari pos-
 set, Regem deliberato animo publicum ius vio-
 lare, aut aliquem contra hoc ius ac libertatem
 opprimere, cuius Senatorum liceret, cum no-
 bilitatē tractus sui de eo communicare, ac ad
 Primatem referre, qui sive solus sive una cum
 aliis Senatoribus, consilio prius habito, Regem
 moneret, ut in quo aberratum corrigeret;
 hoc si non fieret, ut Primas cum Senatoribus
 iterum moneret; & post hanc alteram moniti-
 onem, necessitate exigente, rem Ordinibus in
 comitiis exponeret; & si Rex neque tum iustas
 facti sui rationes allegaverit, Ordinumque pre-
 cibus locum dederit, his ex lege de non prae-
 standa obedientia agere concessum esset (*).
 Post biennium, nova accedebat explicatio, ut
 quicumque Regem contra leges agere noverit,
 id vel ad Primatem, vel ad Senatores in aula
 versantes, vel ad Senatorem quemcunque defe-
 rat, qui vel omnes, vel ex illis unus Regem
 moneat; hoc si frustra, cuius ex his Senato-
 ribus, aut etiam illi qui Regem detulerit, liceat
 rem in conventu ante comitia, nobilitati expo-
 nere, ut nuntiis ad comitia iniungatur Regem
 monere; qui si nihil obtineant, Ordinum in
 iisdem comitiis implorandi auxilium potestatem
 habeant; Ordinum vero precibus irritis, tum
 demum legi de non praestanda obedientia locus
 detur. Quando autem his monitionum gradi-
 bus, & aliis quae de hac re sancita neglectis, a-
 liquis militem legeret, ac tumultu concitato pa-

cem turbaret, causam praetexens, quasi Rex aliquid contra salutem Reipublicae & voluntatem ageret, eundem ad comitia citari, & ab Ordinibus, Rege absente, iudicari debere (**).

(*) Vol. Constit. p. 867. tit. Konkluzye seymu.

(**) Vol. Constit. p. 888. 889. tit. Deklaracya artykułu.

§. IV.

Pactis conventis Vladislai IV. primum conditio de non praestanda obedientia in fine addita & in successorum repetita fuit, ita quidem, ut simul ad constitutionem a. 1609. tanquam ad normam aliquam provocetur: praeter quam, pacta Augusti III. etiam constitutionum a. 1576. & 1607. mentionem faciunt; in cuius iureiurando, cives ad mentem earundem constitutionum obsequio exsolvuntur, quod in formula priorum Regum simpliciter factum, si iura non servarentur.

§. V.

Non diffitemur, expositam conditionem, quam etiam *legem commissoriam* vocant, paulo durior videri, si inspiciatur uti in fine *articulorum Henricianorum* & iurisiurandi regii legitur. Quid enim rigidius, quam cives statim obsequio eximere, ubi Princeps contra iura & pacta egerit, ut etiam humanum errorem, quo per suam naturam immunis non est, imperio luat, desinatque

que esse Rex, simulac inscius & imprudens peccaverit, cum & sapientissimus in tanta legum copia labi possit? Sed temperamentum quod §. II. & III. descripsimus, subvenit Principi adversus humanum errorem. Potest Rex peccare in leges salva sua maiestate, si monitionem non unam, sed ternas audiens, errata desistit illudque corrigit. Habent comitia cum alia, tum hoc commodum, ut Ordines Regi iura in memoriam revocare & modeste eorum auctoritatem commendare queant. Est extra comitia Primas quasi in specula; sunt circa Regem Cancellarii, quibus *Tractat. Varf. a. 1716.* figillatim iniungit, attendere, ut Rex regnum ad legum normam feliciter regat, & pacta conventa summa religione observet (*). Memorat historia frequentes monitiones, modo extra comitia, modo comitiorum spatio, simul celebrat facilitatem Regum, qua sponte redierunt ad regulam, a qua minus scienter, aliorum potius, quam suo consilio, deflexerant. Nunquam civis necessitas subegit, Regi obsequium & fidem renuntiare, sed per illum licuit, utrumque ad eius usque obitum intemeratum praestare. Abrogatum quidem Sigismundo III. regnum, sed id facinus trium Senatorum, paucorumque nobilium fuit, qui quo liberius turbarent, Regem victorum iurium reum peragebant, mox se ipsos damnantes, cum Principis clementiam implorarent. Idem a. 1704. in Augustum II. quidam Senatores & nobiles ausi, quos Ordines in

foedere Sandomirionfi perduelles & patriae hostes, illorumque conventum Varsaviae habitum, conventiculum *infame & criminofum* dixerunt: ut neque Regi obiici possit, quod in temerandis furibus tam pervicax, ut ne quidem monitionibus cesserit, neque genti nostrae haec macula inuri, quod Regi, meritis in cives immortalis, contra publicum ius parere detrectaverit.

(*) Constit. a, 1717. p. 11. §. Nikogomianowicie.

CAP. XIV.

De

Amiſſis a Rege recuperandis.

- §. I. *Qui Regum primus amiſſa recuperare promiſerit. Repetita promiſſio a ſucceſſoribus, cum in iureiurando, tum in pactis conventis.*
- §. II. *Quae amiſſa recuperanda, & quae ſint illicite alienata. Quando repeti poſſint, quae per pacta in aliorum ditionem venerunt. Iuſta recuperandi amiſſa occaſio.*
- §. III. *Amiſſa armis repetenda, quibus ſine Ordinum conſenſu uti haud licet. Excusandus Auguſtus II. quod ex Senatorum conſilio Livoniam recuperare voluerit. Lex poſterior, bellum ob amiſſa ſine totius Reipublicae conſenſu inchoare vetans. Quae iam Regis in amiſſis recuperandis partes.*
- §. IV. *Praefectura*

fectura Drabimensis & ager Elbingensis ad amissa referri nequeunt. Qua via ad illorum usum & fructus redeundum. Ordinum opera desideratur, Regis cura adhuc irrita.

§. I.

Non semper eosdem regni Poloni fuisse fines, sed modo angustiores, modo ampliores, modo adiectas, modo detractas terras, historia docet. Quae ditionis Poloniae esse desierunt, ius nostrum variis nominibus signat, avulsa, amissa, iniuste alienata, distracta appellans. Regnante Vladislao Loctico, Teutonici ordinis equites Pomerelliam sub potestatem suam redegerant, quam cum neque Vladislaus neque filius Casimirus M. recuperare possent, hic eo facilius inductus, ut Ludovicum, Caroli Regis Vngariae filium, successorem designaret, cum pater eius nomine promitteret, ipsum Pomerelliam, & quod praeter hanc ad regnum pertinuerit, suis sumptibus recuperaturum: quam conditionem cum alijs Ludovicus ratam habuit (*). Idem Ludovicus, iam Rex Poloniae, affirmabat, se in sua inauguratione pollicitum, nullas a regno terras alienaturum, sed novis aucturum, & amissas recuperaturum (**). Haec est obligationis recuperandi amissa origo, quae etiam ad successores transit, a quibus per solenne iusiurandum exactum, illicite alienata & distracta pro viribus recuperare, fines regni non minuire, sed eos quantum fieri possit proferre (***) . Pacta etiam

etiam conventa a Vladislai IV. electione (****), de amissis & avulsis recuperandis loquuntur.

(*) Anon, Archidiac, Gnesens, Scriptor, rerum Siles. Sommersbergii T. II. p. 101.

(**) Lasc. Stat. f. 40. p. 2.

(***) Lasc. Stat. f. 161. p. 2. Priduf. Stat. p. 20. Vol. Constit. p. 227. tit. Forma iuramenti.

(****) §. Pacta & foedera, P. C. Augusti III. §. Avulforum recuperationem.

§. II.

Amissa lib. I. c. XI. memoravimus. Hic quaeritur, utrum omnia an nonnulla; & si nonnulla, quanam ex illis recuperanda sint. Ludovicus ad omnia, nominatim ad Pomeraniam, quae hodie Pomerellia dicitur, se obstrinxit, cuius successores in suo iureiurando, de illicite alienatis, vel bello vel quovis alio modo distractis, mentionem faciunt. Sed remanet dubium in illicite alienatis, cum quae alienata, licite alienata sint, quia Regis & Ordinum consensu, publicis pactis intercedentibus, in aliorum dominium venerunt, quod citatum c. XI. lib. I. docet; secus pro inanibus habenda essent pacta illa, si minus licite provincias in alios transtulissent. Quo autem iis, quae de illicite alienatis sanciantur, sua salvis pactis constet auctoritas, non aliam videntur admittere explicationem, quam ut alienata, pro illicite alienatis habeantur, si pactis non statur ab eo, in cuius potestatem alienatae terrae

terrae venerunt, ut tum Polonorum ius in illas, post aliquod spatium reviviscat, possintque veluti minus legitime amissae recuperari. Pace a. 1676. constituta, permittae fuerunt Turcis regiones, quibus illis iam regnante Michaelae cessum, quaeque iuste alienatae erant, quoniam per publica pacta alienatae. Vbi autem Turci ex fide pactorum non agentes, novo bello causam dabant, tenebant iniuste, quae illis per pacta a se temerata relicta erant, ac Regi Ioanni III. obveniebat amissa recuperandi occasio. Obtinuerant non minus Sueci Olivenfi pace Livoniam, ac per eandem legitimi possessores facti, ut provincia pro illicite alienata haberi minime potuerit. Sed pace Olivenfi ab iis non servata, Livonia cuius cessio pace illa nitebatur, a Polonis iuste poterat repeti, quod ipsi Sueci ius, quo cessa Livonia, non uno modo infregisse arguebantur. Motus ergo pactorum conventorum & iurisiurandi religione Augustus II. constituebat a. 1700. Livoniam, cuius iure Sueci sua culpa exciderant, armis ad Reipublicae corpus, a quo distracta, reducere. Hinc pacta conventa Augusti III. avulsorum recuperationem, *data occasione iusta & legitima*, commendant (*): qualis occasio tunc suppeditatur, quando ille, in cuius ditionem Polonorum quondam regiones venerunt, pactis non vult obligari, ac suo facto Polonos liberos reddit, ne ipsi sua cessione teneantur.

(*) P. C. Augusti III. §. Avulsorum recuperationem.

§. III.

Vt autem provinciae bello sunt amissae, sic armis recuperandae. Arma Rex non suo arbitrio movere potest, sed Ordinum consensus exigitur, de quo suo loco, quando iura quae Rex una cum Ordinibus exercet, memorabimus. Augustus II. quidem, Livoniam recuperaturus, non omnes Ordines consuluit, Senatorum tamen & inter hos Primatis consilio usus, neque illius temporis rationes ferebant, cum omnibus Ordinibus in comitiis agere, quia celandum erat propositum, ne occasio opportuna admodum corrumpere (*). Accedebat, quod cum leges bellum sine Ordinum consensu inferre vellent, eadem leges commoda recuperandi amissa occasione uti, nisi re ad Ordines prius relata, haud interdicerent. Augusti III. deum pacta, ob avulorum recuperationem, occasione legitima data, bella *inconsulta plena Republica* inchoare prohibent (**): utque adeo in recuperandis avullis, non aliae Regis partes, quam ut oblata iusta occasione, cum Ordinibus in comitiis agat, nun illorum causa bellum suscipere velint.

(*) Zal. Epist. T. III. p. 396. Memoires sur les dernieres revolut. p. 5. f.

(**) P. C. Augusti III. §. c.

§. IV.

In amissorum numero non sunt, praefectura
Drahi-

Drahimensis & ager Elbingensis, licet ab alio Rege teneantur. Quo iure in Regis Prussiae potestatem venerint, supra (*) dictum, ut plane possit constare, non esse a regno nostro distracta, sed usum & fructus tantum interceptos, quibus carendum, donec Serenissimo Possessori satisfactum fuerit. Hoc ut fiat, Ordinum est curare, Regis autem non aliud munus, quam ut hos moneat, negotium ad pactorum normam conficere. Neque plus exigunt pacta Regum a Michaelis tempore, quae Drahimensis praefecturae pignori eximendae mentionem faciunt (**), cui Augusti III. Elbingensem agrum addunt. Veraque res aliquoties nomine Regis Ordinibus in comitiis commendata, nominari etiam ex Senatu & nobilitate, qui cum Regis Prussiae legato agerent, sed negotium nondum absolvi potuit.

(*) Lib. I. c. 7. §. 6. 7.

(**) §. O eliberacya Drahima.

CAP. XV.

De

Summis Neapolitanis Regis
curae commendatis.

§. I. Neapolitanae summae unde dicantur. Earum auctor & quantitas. Haeredes qui? Sigismun-

gismundus III. cohaeres donat suam portio-
 nem Reipublicae Polonae. Firmatur dona-
 tio novo diplomate post Regis inaugura-
 tionem. Defuncta Regina Anna, altera portio
 Sigismundo III. obvenit, cui ex integris
 summis usurae numeratae, Republica nihil
 recipiente. Usurarum divisio inter Sigis-
 mandum III. ex prioro matrimonio filium &
 alteram coniugem, quae mortua suam portio-
 nem ad liberos transmisit, quam filii suae
 sorori concesserunt. §. II. Vladislaus IV.
 & Ioannes Casimirus, Sigismundi III. filii,
 nihil de summis Neapolitanis in usum Rei-
 publicae constituerunt, licet de iis cum Or-
 dinibus agere promiserint. Sororis defun-
 ctae portio ad maritum Principem Palatinum
 Neoburgicum transiit. §. III. Ordinum
 cura, ne summae post Ioannis Casimiri mor-
 tem aliis obvenirent, a quo nihilominus An-
 na Gonzaga in testamento haeres scripta.
 Vxor Condei Principis, adoptata a Ioanne
 Casimiro filia, summas Neapolitanas petit,
 quas sibi Christina Regina Sueciae, & Res-
 publica Polona vindicant. Detinet usuras
 fiscus Neapolitani regni, quasi Regi Hi-
 spaniae in summas ius esset. Frustra Polo-
 ni nituntur ut summas & foenus ex summis
 accipiant. Condei uxor usuras ad tempus
 obtinet. Episcopus Livoniae huius negotii
 causa ad Caesarem legatus missus. Quid ef-
 fecerit. Usurarum annuarum portio, fa-
 miliae

miliae Condeanae solvitur. §. IV. Vrgent Poloni suum ius. Impedimentum quo minus negotium conficeretur, quod Ordines inter regno post Augustum II. Episcopo Cuiaviensi commendarunt. Illius mentio in Regis successoris pactis conventis, ut sua auctoritate Reipublicae ius fulciat.

§. I.

Habet Poloniae regnum in certas pecuniae summas ius, quae, quod in Neapolitano regno locatae ibidem adhuc haerent, Neapolitanae vocantur. Regina *Bona*, Ioannis Galeacii Sforziae, Ducis Mediolanensis, filia, Sigismundi I. altera uxor, quae post mariti mortem a. 1556. Italiam repetens, in regno Neapolitano, Barrii, sequenti anno decessit, Regi Hispaniae, qui & Neapolis Rex erat, foeneri dedit quadringenta triginta millia ducatorum Neapolitanorum, annuis usuris quadraginta quatuor millibus & quadringentis ducatis constitutis, ex vectigalibus, quae Foggiae exigebantur, praestandis (*). *Bona* mortua, haeredes erant & sortis & usurarum liberi, Sigismundus Augustus Rex Poloniae, & quatuor filiae, ex quibus sola superstes erat Anna, Stephani vidua, cum Sigismundus, Princeps Sueciae haereditarius, a. 1587. Rex Poloniae eligeretur. Hic, per matrem suam Catharinam, *Bonae* nepos, post matris decessum debiti Neapolitani cohaeres factus, in pactis suis conventis promisit, se de certis bonis ac sum-

A a

mis

mis Neapolitanis e Barenfi & Rosanenfi Ducatu, nec non *duoana* Foggia, pro rata sua portione, Regno Poloniae & magno Ducatui Litvaniae cessurum (**). Inde ius Reipublicae Poloniae in summas Neapolitanas primum datum, quod idem Sigismundus III. statim post inaugurationem suam d. 21. Januar. a. 1588. diplomate firmavit, certa bona feu sortem illorum, nec non summas pecuniarias pensionesq; Neapolitanas, pro sua parte & rata portione, Regno Poloniae & M. D. Litvaniae dans, inscribens, & resignans, illaque in Rempublicam plene, nil sibi & Successoribus suis eorum bonorum summarumque relinquendo, transfundens (***)). Post mortem dictae modo Reginae Annae, Sigismundus III. huius suae materterae ex summis Neapolitanis portionem, tanquam proximus cognatus sibi vindicabat; nihil de illa in usum Reipublicae statuens, quae ne quidem ex illa parte, qua Rex cesserat, aliquid recipiebat, cum Is soli sibi ex Neapolitanis summis usuras praestari curaret: donec a. 1626. inter prioris matrimonii filium Vladislaum, & alteram coniugem Constantiam, eas divideret, ut singuli medium foenus caperent & ad suos haeredes transmitterent. Hinc Constantiae a. 1632. defunctae portio, eius filiis & filiae obvenit, quam filii integram filiae permiserunt, ut sola per omnem vitam fruere-tur (****).

(*) Factum, ius & status negotii Neapolitano-Polonicum, tempore comitorum a. 1740. publicatum p. 5.

(**)

(**) P. C. Sigismundi III. §. Pecuniam.

(***) Factum ius & status p. 14.

(****) Factum &c. p. 7.

§. II.

Retinuit suam portionem Vladislaus, post obitum patris Rex electus, & quamvis in pactis conventis promitteret, se de summis Neapolitanis, cum Ordinibus in comitiis post inaugurationem deliberaturum (*), nihil tamen in Reipublicae usum constituebatur, sed Vladislai portio, post eius mortem fratri Ioanni Casimiro contigit, qui idem quod Vladislaus, in pactis suis pollicitus (**), nullo pariter regni Poloni fructu. Quod autem ad partem, quae olim sorori Annae Catharinae concessa, hanc sibi post eius mortem maritus, Princeps Palatinus Neoburgicus, Philippus Vilhelmus, vindicavit, ac suae familiae asseruit, licet uxor tantum dum viveret, usuris frui deberet.

(*) P. C. Vladislai IV. §. Summy.

(**) P. C. Ioannis Casimiri §. A z strony.

§. III.

Abdicabat se regno Ioannes Casimirus a. 1668. & in eius locum *Michael Wisnoviecius* eligebatur, quo inaugurato, Republica iuris sui in summas Neapolitanas memor, consentiebat quidem, ut Ioannes Casimirus, dum esset super-

stes, foenus ex illis reciperet, ne tamen ipsi liceret, siue donatione inter vivos, siue testamento, summas illas in alios transferre. Qua de causa rogabatur Caesar, Regem Hispaniae per suum legatum compellere, ut si alterutrum a Rege Poloniae fieret, id irritum haberetur (*). At Ioannes Casimirus in testamento haeredem scripsit *Annam Gonzagam*, defunctae suae uxoris sororem, Edvardi Principis Palatini viduam, cum iam ante, illius filiam Annam, Henrico Principi Condeo nuptam, adoptasset, quae, Ioanne Casimiro a. 1672. in Gallia mortuo, ut filia per adoptionem, summas Neapolitanas petebat, quia mater haereditate sponte cesserat. Petebant easdem summas, Christina Sveciae Regina iure cognationis, & Michael Rex, nomine Reipublicae Poloniae, nec deerant qui in eas Regi Hispaniae ius assererent, ut cum disceptaretur de sorte, fiscus Regius in Neapolitano regno, usuras sequestri iure servaret (**). Defuncto Michaele, Ordines Regem Hispaniae rogabant, ut sine mora & fors & usurae repraesentarentur (***), idemque regnante Ioanne III. a. 1680. 1686. 1695. postulatum (****). Succedente Philippo Burbonio, ex Caroli II. testamento, in Hispaniae & illi iuncta regna, obtinuit memorata Anna Condei uxor usuras, quae cessabant, Neapolitanis sub ditionem Caroli Austriaci concedentibus (†). Ad hunc, cum Caesar esset, Viennam *Christophorus Szembek*, Livoniae tum Episcopus, Cellissimus iam regni
Primas,

Primas, a. 1713. legatus mittebatur, ut superiorum annorum foenus obtineret, efficeretque, ut in posterum illud Reipublicae Polonae, ad quam solam fors pertineret, stato tempore praestaretur, donec integra quadringentorum triginta millium ducatorum Neapolitanorum summa persoluta esset (†*). Totam enim sortem postulabat Respublica ex Sigismundi III. donatione, cuius usuras sponte eidem Sigismundo III. & eius filiis Vladislao & Ioanni Casimiro, permisisset, & quae his defunctis ad ipsam redissent. Caesar ad postulationem legati Poloni, de tota causa & iure Reipublicae, a fisco suo Neapolitano referri iussit (†**), sed nihil pro illa decrevit, contra Principi Condeo a. 1725. successit, ut ad tribunal regionum reddituum Neapolitanum rescriberetur, ut auditis partibus, intra annum aut brevius spatium decretum ferret, ac interea Princeps Condeus eiusq; frater ac sorores, tum duae illorum materterae, ex fundis regiis a. 1650. assignatis, undecim millia quadringentos & viginti octo ducatos annuos acciperent, & hoc quidem ex singulari Caesaris gratia, iure Reipublicae Polonae salvo (†***).

(*) *Zal. Epist. T. I. p. 212.*

(**) *Factum ius & status p. 13. f.*

(***) *Zal. Epist. T. I. p. 527. 529.*

(****) *Factum p. 28.*

(†) *Factum p. 22. 23.*

(†) Factum p. 1. 2.

(†**) Factum p. 3. f.

(†***) Factum p. 23.

§. IV.

Dum parte usurarum familia Condeana fruitur, nullum ferente decretum tribunali, Polona Respublica a. 1728. suum ius apud Caesarem urgebat, a quo iterum memorato tribunali mandatum, ut sine mora de causa cognosceret, sed hoc tardante, rursus a. 1732. adendum erat Caesar, qui extra ordinem delegabat, a quo hoc negotium conficeretur (*), confectumque forsitan iam esset, nisi mors Augusti II. & quae eam excepit, rerum conversio intercessissent. Ordines tamen summas Neapolitanas interregni tempore oblivione non transmiserunt, Episcopum Cuiaviensem, eundem, qui in praesens Regni Primas, in confoederatione a. 1733. per amorem patriae rogantes, ut in suo studio viginti iam annos illis navato persistat (**): simul placuit, ut negotium hoc pactis futuri Regis infereretur; quod ita factum, ut Augustus III. promitteret, curae sibi fore apud aulam Viennensem, ut Respublica & sortem & usuras obtineat (***) . Parebat, cum Rex pacisceretur, Neapolitanum regnum Caesari, Carolo VI. qua ex causa cum Viennensi aula agendum erat, sed regno brevi post in ditionem Caroli Bourbonii concedente, alio vertenda Regis auctoritas, ut Reipublicae ius fulciatur.

(*)

(*) Factum p. 23. 24.

(**) Konfed. a. 1733. §. Summy Neapolitanskie.

(***) P. C. Augufti III. §. Windykacya Summ.

CAP. XVI.

De REGINA.

§. I. Regina fuam dignitatem Regi debet. *E-*
xempla duarum, quae eam a populo habue-
runt. §. II. Quae Regi iuncta dum eligi-
tur, ſe modo catholica, cum ipſo regiis inſi-
gnibus condecoratur. Olim Reges de ine-
undo matrimonio ad Senatam retulerunt, li-
cet non ſemper eius ſenſum ſecuti. Vxor a
Sigismundo Auguſto clam ducta, inde Ord-
inum cum Rege gravis expoſtulatſo. Lex de
matrimonio conſenſu Senatorum contrahendo,
neque temere diſſolvendo. Divortium a Si-
gismundo Auguſto agitatam, cui Ordines re-
ſtiterunt. Sigismundi III. prius coniugium
ſine Senatorum conſilio. Quid poſteriori ob-
iectum. Pacta Regum caelibum, de matri-
monio Senatorum conſenſu. Michael incu-
ſatus, quod non ex pacto ſuo egerit: qui
defenditur. §. III. Ducenda uxor Roma-
nocatholica. Regina graecae religionis non
inaugurata, privato ſacrorum exercitio ſal-
vo. Matrimonium religionis diverſitate im-

peditum. Leges de Regina Romanocatholica. Exemplum Reginae religionis Luteranae. §. IV. Possunt Reges ex quavis natione coniuges sibi legere. Diversarum gentium Reginae. Laudantur quae ex domo Austriaca. §. V. Nuptiae ubi celebrari soleant. Interdum extra Cracoviam peractae. Quis Regem & Reginam Christianorum ritu iungat. Diversorum exempla, qui munus id obierunt. §. VI. Inaugurationis tempus. Locus Cracovia. Reginae bis Varsaviae diademate insignitae. Archiepiscopus Gnesnensis, & eo absente, Cuiaviensis Episcopus munere hoc defungitur. Archiepiscopi Leopoliensis postulatio. Reginae a Leopoliensi corona redimitae exemplum. Reginae de quarum inauguratione siletur. §. VII. Inaugurationis descriptio. §. VIII. Reginae aula. Numerus aulicorum incertus, modo sint indigenae, praeter extraneos aliquot. Displicuit olim peregrinorum copia. Lex de sex foeminis exteris in Reginae aula. Qui circa Eleonoram Reginam exteri. Quid de iis in Augusti II. & Augusti III. pactis legatur. §. IX. Marefchalcus Reginae Senatorii ordinis. Eius Cancellarius, qui ecclesiasticus. Exemplum Cancellarii saecularis. Marefchalci & Cancellarii munia. De sigillo Reginae. Gynaeeo praest Matrona Senatoria. Aulici inferioris ordinis, quorum salarium ex Regis thesauro. §. X. Quae

Quae Reginae munia. Laudantur Reginae ex domo Austriaca, quod ea recte obierint. Exempla Reginarum, quae aliena tractaverint. Leges ut Regina publicis negotiis abstineat. Eleonora commendatur. Quid in Ioannis III. uxore notatum. Leges in successorum pactis repetitae. §. XI. Reginae sumtus ex Regis aerario. Duo aureorum millia annua, quae ex Cracoviensibus salisfodinis praestantur. Non potest privatorum bona sibi parare, aut regia tenere. Duos Reginae concessit Capitaneatus Sigismundus III. quod primum aegre latum, postea Ordinum consensu probatum. Advitalitas Reginae Mariae in bonis regiis lege firmata. §. XII. Reginae dotalitium, ad certum summam redactum, ex regiis bonis assignatur. Olim id Reges per se, iam Ordinum auctoritate constituunt. Lex ne Masovia dotalitia serviat. Non integra regio dotalitia cedit, sed terrae per provincias sparsae. Quanti Reginae viduae redditus. Quid de his redditibus in pactis Augusti III. convenerit. Constitutio de iisdem. §. XIII. Assignantur in dotalitium bona non vacua, idque salvo possessoribus, iisque quibus bona obligata. Quod bona illa non vacua, redditus ex oeconomis constituti, donec bona regni vacarent. Reditus ex aliis bonis regiis, qui ex assignatis deessent, supplendi. §. XIV. Bona dotalitii a quibus administrantur.

strentur. Iudicia in iis Regis nomine. Quarta & donativum ex iis pendendum. Ex oeconomiiis, bona quaedam in dotalitium assignata. §. XV. Fruitur Regina dotalitio, dum vidua & in Polonia manet. Excidit illo Eleanora, quia ex regno profecta iterum nupsit, quod Mariae relictum, cum Ordinum consensu vidua apud exteros degeret. Regina duobus Regibus nupta prius dotalitium retinuit. Conditio dotalitio adiecta, si maritus per omnem vitam Rex maneret. Dotalitium ad haeredes non transit. §. XVI. Reginae viduae sedes ubi? §. XVII. Eius exsequiae. Funus Ludovicae, post quod non aliud Reginae seorsum celebratum.

§. I.

Regis iuribus, & quae eius curae commendantur, expositis, ad regiam familiam progredior, quae Regina & sobole componitur. Habet Regina suam dignitatem a Rege, cuius coniux est, nisi quod historia duas memorat, quae eam populo debebant. Hedvigis Ludovici filia imperabat Polonis, antequam a Jagellone in matrimonium peteretur, & cui ipsa Regnum in dotem afferebat. Anna Sigismundo I. nata, Ordinum suffragiis, simul Regina & Stephani sponsa facta, cui postridie quam inaugurata, iungebatur. Caeterae Reginae, aut iam erant coniuges, cum mariti regnum capefferent, aut regnantibus nubebant.

§. II.

§. II.

Quae matrimonio iunctae, dum maritis regia dignitas obvenit, eodem die quo illi, regiis insignibus condecorantur, nisi diversa religio obstat; ut suo loco (*) exposuimus. Si Rex caelebs electus, aut priore defuncta, alteram ducere vult, de matrimonio ad Senatores refert. Horum consilio Vladislaus Jagello secundam, illis vero dissvadentibus, tertiam & quartam sibi coniugem iunxit (**). Sigismundo I. Senatores auctores erant, ut matrimonium iniret, qui in deligenda priore uxore, fratris Vladislai, Vngariae & Bohemiae Regis, sensum sequebatur, multis Polonorum minus probantibus (***) . Hac mortua, duas ipsi commendabat Caesar Maximilianus I. ut alterutram eligeret, & Rex ex Senatoribus quaerebat, num sibi ducenda uxor, & utra ducenda; auditisque illorum sententiis, animum in *Bonam Sforziam* flexit (****). Sigismundus Augustus uxorem secundam, Barbaram Radziviliam, *Gastoldi* Trocensis Palatini viduam, clam duxit, quod graviter ferentes Ordines urgebant, ut Rex uxorem dimitteret, quia inscio Senatu ducta: sed ut divortium faceret, adduci non potuit (†). Post Sigismundum Augustum, in *Henricianis articulis* perpetua lege vetabatur, insciis & non consentientibus utriusque gentis Senatoribus, aliquid de matrimonio constituere, aut praeter causas in sacra scriptura memoratas divortium quaerere (†*). Posterius sancitum, quia Sigismundus
 Augu-

Augustus Papam sollicitaverat, ut matrimonium cum tertia uxore dissolveretur, & Regina fastidium mariti non ferens, ex regno abierat, hinc Ordines a. 1566. in comitiis Regem obsecrabant, ut Reginam revocaret, & cum ea coniugium coleret: quod Regi adeo durum videbatur, ut mallet vitam amittere, quam cum uxore sua versari (†**). Duxit Sigismundus III. sine Senatorum consensu priorem coniugem, quam ob rem, qui maxime matrimonio adversi, de impediendo illo consilia conferebant, nullo tamen successu, cum maturatus sponsae adventus, & statim secutae nuptiae, illorum conatus sisterent (†***). De altero coniugio Sigismundi III. consulti Senatores dissentiebant, aliis haud probantibus, quam sibi Rex destinaverat, aliis annuentibus, & Rex maiori consentientium numero se tuebatur, cum posterius matrimonium non ex praescripto legum contractum obiiceretur (†****). Sigismundi III. filii, Vladislaus & Ioannes Casimirus, item Michael Wisnoviecius, qui caelibes electi, ex Senatus consilio se matrimonium inituros, in pactis conventis promiserunt (†). Michaelem tamen publice incusavit Primas, consultos quidem de matrimonio Senatores, verum illis praesentibus nihil constitutum, sed negotium clam paucis consciis confectum fuisse (†*). Pro Rege allegabatur, praeter tres Senatores, omnes, ut ex Caesaris domo uxor peteretur, unum, ut matrimonium in aliud tempus differretur (†**), censuisse.

(*)

- (*) L. II. c. 5. §. 14.
- (**) Dlugof. X. 166. XI. 379. 446.
- (***) Biels. Chron. p. 513. 518.
- (****) Priluf. Stat. p. 20. 21. Janufz. Stat. p. 20. Biels. P. 537.
- (†) Orichov. T. II. Dlugoffi p. 1488. f. Biels. p. 589.
- (†*) Vol. Conftit. p. 256. 278. §. A iż na małżeńftwie.
- (†**) Biels. Chron. p. 620. 621. Gratiani vita Commend. II. 19.
- (†***) Píafec. Chron. p. 92. 97. 98.
- (†****) Lubienfc. Oper. p. 24. 32. 52.
- (‡) P. C. Vladislai IV. Ioannis Cafimiri, Michaelis §. Z ftromy małżeńftwá.
- (‡*) Zaluf. Epift. T. I. p. 222. 265.
- (‡**) Zal. I. c. p. 237.

§. III.

In deligenda Regi uxore, ante omnia religionis habenda ratio, ut fit Romana catholica. Duxerat Alexander religionis graecae, sed antequam Rex Poloniae effet, & cum folam Litvaniam regeret. Ex hac caufa Regina regni insignibus non condecorata, ut alio loco dictum (*), cui tamen licuit facra ritu graeco, in Cracoviensi arce, ubi illo tempore fedes regia erat, instructo in hanc rem facello, colere (**). Cum Vladislao IV. constitutum effet, matrimo-
nium

nium inire, destinaverat sibi inter alias Friderici V. Electoris Palatini iam defuncti filiam, *Reformatorum*, ut vocant, sacra profitentem, cuius coniugium, quod Romanam catholicam religionem amplecti volebat, aversabantur Senatores, & Rex in Austriacam mentem suam flexit (**). In *exorbitantiis* ante Michaelis electionem, primum sancitur, ut Regina sit religionis catholicae Romanae, five *natione*, five *vocatione* (****): hoc est, ut vel in illa nata, vel *vocatione* interna permota ad eam accesserit. Legem hanc Michaelis & successorum pacta conventa (†), item *confoederatio* generalis a. 1696. (†*) repetunt. Augusti II. coniux lutheranae religionis, antequam Rex eligeretur ducta, nunquam in Poloniam venit, vitam in Saxonia, ubi perpetuo degerat, finiens.

(*) L. II. c. 5. §. 14.

(**) Bielsc. Chr. p. 494.

(***) Plafec. Chr. p. 492.

(****) Exorbit. a. 1669. tit. Rex Catholicus esto.

(†) P. C. Michaelis, Ioannis III. Augusti III. §. Lubodawne prawa. Augusti II. §. 1. Rady.

(†*) §. Pro fundamento.

§. IV.

Religione Romana catholica salva, Reges ex quavis natione sibi coniuges legere possunt: ac fuerunt a Vladislai Loctici tempore, inter Reginas

nas tres Polonae, totidem Litvanae, ex Silesia, Bosnia, Vngaria, Ruffia, Transilvania, Italia, singulae, duae ex Gallia, & undecim Germanae, inter quas ex una domo Austriaca octo eminent, quarumque in Poloniam merita *Andr. Olczovius*, Culmenfis eo tempore Episcopus & regni Procancellarius, ex fide historiae memoravit (*).

(*) *Censura Candid. scept. Pol. tit. Lotharingus, Zal. Epist. T. I. p. 96. 97.*

§. V.

Nuptiae plerumque Cracoviae celebratae, idque non ex lege, sed quod urbs illa antiquis temporibus sedes regia erat. Interdum aliae civitates praelatae, Vladislao Jagellone tertias Sannoci in palatinatu Ruffiae, quartas Novogrodedi in Litvania (*); Vladislao IV. duas Varaviae (**); Ioanne Casimiro ibidem (***) & Michaele Czenstochoviae (****), suas peragentibus. Dum Regi sponsa christiano ritu iungenda, pium hoc munus non semper eundem, sed modo Archiepiscopum Gnesnensem, modo Cracoviensem aut alium Episcopum, modo Papae Nuntium obiisse, legimus. Vladislaus Jagello tertiis nuptiis Archiepiscopo Leopoliensi, quartis Vilnensi Episcopo, utroque in sua dioecesi, usus (†). Lis erat inter Gnesnensem Archiepiscopum & Episcopum Cracoviensem, uter Casimirum III. eiusque sponsam copularet, Archiepiscopo metropolitanum, Episcopo dioece-

oecesanum ius allegante, & neutro cedente, placuit munus hoc *Ioanni Capistrano*, Papae Nuntio deferre, qui negabat sine consensu Cracoviensis Episcopi, tanquam *Dioecesani*, id a se suscipi posse; quo impetrato, intercedebat impedimentum ex polonae & germanicae linguae ignorantia, hinc munere eo Cracoviensis Praesul defungebatur (†*). Stephani matrimonium, Episcopis reliquis absentibus, non ab alio, nisi a Cuiaviensi iungi poterat (†**). Sigismundi III. utrasque nuptias Cracoviensis Episcopus initiavit, sed ad illum actum a Papa Nuntii titulo condecoratus (†***). Vladislai IV. priores ab Archiepiscopo Gnesnensi, posteriores a Papae Nuntio sacrae (†****). Michaeli, post nuptias Czenstochova Varsaviam cum coniuge reduci, in aede Ioannea ante praecipuum altare, Papae Nuntius solenni formula felix matrimonium a Deo precabatur (††).

(*) Dlug. XI. 379. 447.

(**) Piascc. Chr. p. 496. 507.

(***) Kochov. Annal. Clim. I. p. 104. 105.

(****) Zaluf. Ep. T. I. p. 225. 233. Zavadz. Hist. arc. p. 103.

(†) Dlug. I. c.

(†*) Dlug. XIII. 127. 128.

(†**) Biels. Chr. p. 734.

(†***) Heidenst. p. 296. Piascc. Chr. p. 229.

(†****)

(†****) Piaſec. p. 496. 507.

(‡) Zal. Ep. T. I. p. 233. 234. Zavadz. l. c.

§. VI.

Vbi Regi iuncta est, insignibus regiis condecoratur Regina: quod interdum eodem quo iuncta est die, interdum tempore aliquo intercedente factum; hocque aliter fieri non potuit, quando extra Cracoviam Rex & Regina copulati. Reginis enim ut Regibus, non alibi quam Cracoviae corona est imponenda, idque a Vladislao Loctico, quo cum uxor inaugurata, obtinuit. Vladislaus IV. contra superiora exempla, coniugem priorem Varsaviae diademate ornari iussit, insignibus Cracovia apportatis (*). Quod Ordinibus displicuit, ut in sequentibus comitiis lege veteretur, Reginis alio quam Cracoviae loco coronam imponi (**). Detogarunt huic legi Ordines a. 1670. ut Michaelis coniux Varsaviae Regina inauguraretur, ne tamen idem in posterum liceret, consentientes, simul ex Senatoribus & equitibus nominati, qui insignia Cracovia afferrent referrentque (***). Insignia Regina, ut Rex, a Gnesnensi Archiepiscopo accipit, quam consuetudinem etiam statutum Casimiri III. firmat (****): Nec minus in Regina, quod in Rege obtinet, ut absentis Archiepiscopi vices Cuiaviensis Praesul obeat. Archiepiscopo Gnesnensi aegro, prior Sigismundi III. uxor ab Episcopo Cuiaviensi inaugurata, Leopoliensi Archiepiscopo frustra se

B b

post-

postpositum querente; cui respondebatur, Praesulum maioris Poloniae esse, Regem & Reginam insignibus regni exornare (†). Nec minus posteriori Sigismundi III. coniugi insignia ab Episcopo Cuiaviensi tradita, quia nominatus a Rege Archiepiscopus Gnesnensis, a Papa nondum confirmatus erat (†*). Vladislaus Jagello tertiam uxorem, absente in Constantiensi concilio Archiepiscopo Gnesnensi, a Leopoliensi inaugurari voluit: quod Gnesnensis moleste ferebat (†**). Casimiri M. alteram & tertiam, tum Vladislai Jagellonis secundam uxorem, solenni more insignia accepisse, historia non memorat.

(*) *Piasec. Chr.* p. 496.

(**) *Constit. a. 1638.* p. 24. tit. *Koronacyá.*

(***) *Constit. a. 1670.* p. 13. tit. *Koronacyá Krolewey.*

(****) *Prilus. Stat.* p. 22.

(†) *Heidenst.* p. 296. 297.

(†*) *Piasec. Chr.* p. 229.

(†**) *Dlug. XI.* 382. *Biels. Chr.* p. 316.

§. VII.

Regina in eadem sacra aede, in qua Rex, praesente Rege inauguratur. Archiepiscopus Gnesnensis, missa celebrata, Episcopis cinctus, ungit Reginam, unctae coronam imponit, ac sceptrum cum pomo tradit. His insignibus exornata

ornata solium suum ascendit, ad laevam regii, in quo ipse Rex confidet, contra maius altare positum. Acclamatur *vivat Regina*; canitur *Ambrosii* hymnus; fiunt alia publicae laetitiae signa; sparguntur nummi in memoriam inaugurationis cui, & Regina cum insignibus in palatium redit, quam Rex eodem modo condecoratus praecedat. In palatio epulum, ut in Regis inauguratione, instruitur.

§. VIII.

Habet Regina suam aulam pro dignitate, quam ita enumerat Cromerus (*), ut memoret, Magistrum & Magistram curiae, Cancellarium vel secretarium, thesaurarium, pincernam sive pocillatorem, structorem mensae, dapiferum, subdapiferum, culinae & stabuli magistros singulos, mapparium, abaci custodem, dispensatorem, & ianitores: quibus gynaecium addendum. Numerum aulicorum leges non definiunt; hinc modo maior, modo minor esse potest, contra volunt leges aulicos indigenas, ita tamen ut sint etiam nonnulli externi. Vladislavus IV. qui caelebs electus, primus in pactis promisit, si uxorem externam duxerit, in aula eius non plures peregrinos nec diutius agere debere, quam Senatui visum fuerit: quod a Ioanne Casimiro in suis pactis repetitum (**). Ambo Reges iunxerunt sibi externas coniuges, de peregrinis autem, quos circa se haberent, nihil a Senatu decretum; fuisse tamen circa Ioannis Casimiri,

B b 2

quae

quae Vladislai IV. vidua, plures, quam aquis animis Poloni ferrent, ex historia illius regni constare potest. Quam ob causam post Ioannis Casimiri abdicationem, in *exorbitantiis*, Reginae exterae saltem sex foeminae suae nationis, & ad sola cubiculi ministeria permittuntur (**): idem Michael caelebs, nomine futurae uxoris, si extera fuerit, in pactis suis pollicetur, addito, ab illis sex foeminis infimas operas praestandas esse (***). Missus a Michaele Viennam Culmensis Episcopus, *Andr. Olczovius*, Caesaris sororem in matrimonium petitem, curae habuit, ne futurae Reginae aula offenderet, placuitque ut cum illa una matrona, sine ullo dignitatistitulo, cuiusque consuetudine Regina uteretur, tum quatuor virgines, totidemque sexus virilis, inter quos coqvus, abaci & supellectilis structores singuli, in Poloniam venirent (†). Augustus II. in electione quatuor foeminas, sed nobilioris conditionis (†*); Augustus III. Reginae aulicos Polonos, Senatorii & equestris ordinis, pactus, simul tamen extraneos, pro dignitate & in quantum deceret (†**).

(*) De Situ & gente Pol. lib. II. p. 512. 513.

(**) P. C. Vladislai IV. & Ioannis Casimiri §. Z strony małżeństwa.

(***) Exorbit. a. 1669. tit. Krolowa.

(****) P. C. Michaelis §. Z strony małżeństwa.

(†) Zal. Ep. T. I. p. 165.

(†) P. C. Augusti II. §. Także Nayiaśnieyſza.

(†**) P. C. Augusti III. §. Także Nayiaśnieyſza.

§. IX.

Primus in Reginae aula est Mareschalcus, quem Cromerus §. praecedenti curiae Magistrum vocat, & quo nomine etiam antiquis temporibus appellabatur. Praeest is aulae, & ut omnia rite & ex dignitate fiant, curam agit. Reginae, si sola prodit in publicum, scipionem praefert, si cum Rege, Regni & Litvaniae Mareschalci praecedunt. Solet esse Senatorii ordinis, occurritque iam Vladislai Jagellonis tempore *Albertus Malsyk*, Castellanus Lenciciensis, curiae Reginae Magister (*). Proximo saeculo inter Mareschalcos memorantur *Gerh. Denhof*, *Io. Leszczynius*, *Vlad. Rey*, *Ern. Denhof*, *Raph. Leszczynius*, omnes Palatini. Hodie hoc munere fungitur *Chr. Sedlnicius*, Podlachiae Palatinus, quem *Petr. Dunin*, Radomiensis Castellanus, praecessit. Proximus a Mareschalco est Cancellarius, qui Reginae nomine verba facit, & literas aut ipse scribit, aut scribi curat, ac eius sigillum servat. Habet Regina suum sigillum, in quatuor, ut Regis cubiculare, campos divisum, pro Poloniae & Litvaniae insigni, in medio duo scuta minora iuncta, alterum Regis, alterum Reginae gentilitio decoratum (**). Est Cancellarius sacri ordinis, Canonicus, Abbas, Episcopus, & si nondum Episcopus cum factus Cancellarius, manet quando ad Episcopatum evehi-

tur, nisi sponte munere illo se abdicet. Habuit tamen Ludovica, Ioannis Casimiri coniux, Cancellarium saecularem, *Vladislaum Rey*, qui simul Thesaurarius curiae regni erat (**). Magistra curiae, ut Cromero §. c. dicitur, praestitit gynaecob, ac ex matronis Senatoriis legitur. Reliqui aulici sunt equestris conditionis, de quibus sigillatim nihil notandum, neque illorum numerus est certus, sed sunt, ut dictum supra, modo pauciores modo plures, quibus ex Regis thesauro merces & alia praestantur.

(*) Dlug. XI, 575.

(**) Visitur Reginae sigillum ante Co. Petri Schultzei Commentar. de Cancellariis,

(***) Constit. a, 1661, tit. Eliberacya p. 10.

§. X.

Vt autem Regi publica sunt munia, sic Reginae privata, quae domi exercent. Haec enim Regi iuncta, ut fessum regni curis animum, sua consuetudine & alloquiis recreet, foecunditate familiam propaget, primae educationis onus suscipiat, & Regis saluti & incolumitati intenta, Reipublicae matrem agat. His sunt consentanea, quae de Reginae ex Austriaca domo, *Andr. Olczovius* quondam affirmavit: omnes gravitate, pietate praeluxisse, & matronas Polonas suo exemplo formasse; ipsis non rationem status, non togam & sagum, sed mariti torum & amorem populi curae fuisse; non acies ordinasse, con-

filia

filia Senatus, comitia, iudicia rexisse; non Rempublicam & alia quae supra sexum molitas: sed domum curasse, regiam custodivisse, liberos educaſſe, Principes maritos laboribus feſſos oblectaſſe, optimos cives promoviſſe. Illarum fuiſſe negotium & occupationem, ut templa ornarentur, divinae laudes muſicis cantibus inſonarent, ornamentis & velis eccleſiaſticis propriis manibus elaboratis altaria inſtruerentur (*). Verum non ſemper contigerunt Polonis ex Archiducali hac domo Reginae. Fuit illis *Bona*, ex Italia petita, de qua diverſa plane narrant annales, Sigismundi I. regno indecora (**), lectu tamen digna, ut praesentem felicitatem intelligamus. Non ſilet historia querelas de Regina *Ludovica & Maria*, quarum exemplum ne in uſum tranſiret, legibus providendum erat. Cum enim Ludovica Ioannis Caſimiri coniux, munia regia, marito ferente, tractaret, dignitates & bona illis potiſſimum, qui ipſi addictiores, cederent, ac tandem eius conſiliis tranquillitas inſterna turbaretur, poſt illius mortem & Ioannis Caſimiri abdicationem, in *exorbitantiis* a. 1669. Regnam publicis negotiis ſe immiſcere, & promotionem ad dignitates per eius aulae foeminas exteras fieri, vetitum, poena relegationis ab aula in foeminas ſecus facientes decreta, qua ut multarentur, nuntiis in comitiis flagitandi ius eſſet (***) . Idem in pactis Michaelis repetebatur, ſimul nuntiis, utriusque gentis Cancellariis & ſupremis Camerariis, ne id per

foeminas aulicas fieret attendere, & si fieret, ad Rempubicam deferre iniungebatur (****). Non tamen opus fuit, legum auctoritatem Michaelis tempore invocare; Regina Eleonora regni curas marito permittente, quae modestia ipsi Polonorum animos adeo conciliavit, ut mortuo Michaelae, futuri Regis coniugem optarent. Irrita haec vota, Rege non caelibae electo, qui in pactis, eadem quae Michael, pro sua uxore pollicebatur (†). Sed longe alius huic, ac Eleonorae fuit animus, ut argueretur, ad suam voluntatem ecclesiasticas ac saeculares dignitates conferri; cum ipsa publica negotia tractari, antequam de iis Ordines aut solus Senatus edocetur; duas in aula eius exteras foeminas dominari, & quia discordes, in duas illam factiones distrahere (†*): alias querimonias, quae in commentariis illorum temporum leguntur, silentio transmitti. In Augusti II. pactis idem quod in priorum Regum prohibetur, & praeter Cancellarios ac supremos Camerarios, Mareschalcis rem hanc curae sibi esse mandatur, nuntiis etiam, si quid in hoc contra leges fiat, Regem in comitiis compellendi facultas permittitur (†**). Potuit Augustus III. magna fiducia promittere, Serenissimam coniugem, neque publica negotia tractaturam, neque sibi partes aliquas in conferendis dignitatibus vindicaturam esse (†***).

(*) And. Olczovii Censura candidat. scept. Pol. tit. Lotharingus. Zal. Ep. T. I. p. 97.

(**)

(**) Orichov. Annal. T. II. Dlugoff. p. 1577. Vita Pet. Kmithae. T. II. Dlug. p. 1615. 1616. 1617. 1620.

(***) Exorb. a. 1669. tit. Krolowa.

(****) P. C. Michaelis §. Waruiemy za przyszlą.

(†) P. C. Ioannis III. §. Waruiemy za małżonkę.

(†*) Zal. Ep. T. I. par. 2. p. 1092. 1039.

(†**) P. C. Augusti II. §. Waruiemy za Naiśnieyszą.

(†***) P. C. Augusti III. §. Waruiemy za Naiś.

§. XI.

Non habet Regina peculiare reditus, sed sumtus ex Regis aerario erogantur, praeter duos nummorum aureorum millia, quae singulis annis doni, nuptialis nomine, ex salisfodinis Cracoviensibus, ab earum conductoribus repraesentantur. Iam Casimiri M. tempore, Regina quotannis quinquaginta aureis florenis ex iisdem salisfodinis donabatur (*), qui donationis nuptialis titulo, ad duo millia creverunt, hancque summam constitutio a. 1593. ex antiqua consuetudine repetit (**). Possessiones privatorum haereditarias emere, aut ex donatione, aut iure hypothecae obtinere, leges non permittunt, ab aliis haberi vetantes, quam qui nobiles, indigenae & aequo cum aliis iure censeantur, ut supra dictum; ubi simul Zywiecensis terrae, a Regina Constantia emtae exemplum occurrit, de qua constitutum, ut vel privatis vel Reipublicae,

ea qua comparata summa venderetur (**). Neque Regi licet bona regia Reginae conferre, ut proventibus ex iis fruatur, quod & illa debent cedere iis, qui nobilibus conditione pares, ut suo loco expositum. Qua de causa, non aequis animis latum, cum Sigismundus III. memoratae suae coniugi Constantiae a. 1625. duos in Prussia capitaneatus, Strasburgensem & Golubensem, conferret, fuitque Ordinum consensu opus, quem Rex a. 1631. per sua in Rempublicam merita (****) obtinebat. Joannis III. coniugi Mariae, advitalitas in bonis regiis, quam habuerat antequam maritus in regium fastigium eveheretur, lege firmabatur (†).

(*) Lasc, Stat, f. 80, p. 1, Iannsz, Stat, p. 41.

(**) Constit, a. 1593, tit. Oprawá, Vol, Constitut, p. 641.

(***) Supra L, II, c. 10. §. 22.

(****) Piaszc, Chr. p. 382, Histor, nost, Pruss, T. V, p. 176. Constit, a. 1631, p. 4. tit, Starostwo Brodnickie,

(†) Constit, a. 1676, p. 24. tit. Starostwa,

§. XII.

Rege mortuo, Regina vidua dotalitio suo fruitur, quod ad certam summam redactum, ex annuis redditibus bonorum regionum, in quibus illud constitutum, praestatur. Olim ipsi Reges dotalitium assignabant. Casimirus III. terras & arces

arces ipse nominavit, quibus illud inhaereret, ac quinque aureorum millia ex salisfodinis Cracoviensibus, in singulos annos addidit (*). Sigismundus I. sua auctoritate Masoviam Reginae Bonae in dotalitium addixit, quod Polonis displicuit, ut cum Rege de dotalitio in alias terras transferendo saepe, sed frustra, agerent (**). Dotalitium Annae, quae coniux Stephani, in comitiis, Ordinum consensu decretum (***), quod ex illo tempore perpetuo usu obtinuit. Memoratae Annae, ut antea eius matri, Masovia contigit, hoc addito, ne in posterum unquam, regio illa dotalitio interserviat. Eidem Reginae in Litvania bona concessa, quorum annui reditus undecim millia ducenti & quinquaginta floreni essent. Post Stephani uxorem, Reginae non integra regio, sed capitaneatus & tenutae per Poloniam, Litvaniam & Prussiam sparsa, in dotalitium assignabantur, quod in priore Sigismundi III. uxore coepit, & in sequentibus servatum: simul reditus dotalitii nomine, eidem priori Sigismundi III. coniugi, quinquaginta milium florenorum constituti, parem autem summam ratione illatae dotis Rex sine mora dari promisit, cum annuis duobus nummorum aureorum in donum nuptiale millibus (****). Posteriori Sigismundi uxori Constantiae pares summae, & dotalitii & illatae dotis nomine, ex bonis regis decretae, additis etiam duobus aureorum nummorum millibus, ex salisfodinis Cracoviensibus singulis annis pendendis (†). Vtraque

traque summa tum dotalitii tum illatae dotis causa, Ceciliae Renatae priori Vladislai IV. coniugi decreta, Reginae autem sequentibus duplicata fuit, manentibus duobus aureorum in nuptiale donum millibus: quod ex constitutionibus ea de re scriptis patet (†*). Augustus III. cum regnum susciperet, eiusmodi dotalitium Reginae pactus, quale Ludovica, Eleonora & Maria habuerant (†**). Probavit summas constitutio a. 1736. & bona unde aliquando recipi deberent, ex primis vacantibus designari voluit (†***).

(*) Dlug. XIII. 121. Biels. p. 398.

(**) Orichov, Annal. T. II. Dlug. p. 1486.

(***) Constit. a. 1581. Vol. Constit. p. 382. tit. Opráwá Krolowey.

(****) Constit. a. 1593. Vol. Constitut. p. 641. tit. Opráwá.

(†) Constitut. a. 1609. Vol. Constitut. p. 893. tit. Opráwá.

(†*) Const. a. 1638. p. 4. a. 1646. p. 8. a. 1670. p. 17. a. 1678. p. 4. tit. Opráwá.

(†**) P. C. Augusti III. §. Opráwá.

(†***) Constit. a. 1736. p. 94. tit. Opráwá.

§. XIII.

Quia autem bona regia, quae in dotalitium Reginae assignabantur, vacua non erant, addebatur in constitutionibus de dotalitio scriptis, salvis

salvis praesentium possessorum iuribus, idque etiam ad pensiones & ius *communicativum*, quibus bona illa obligata, extendebatur. Cum ergo contingere poterat, ut bona, Rege moriente, possessoribus suis vacua non essent, solebat Reginae ex teloniis aut salisfodinis Cracoviensibus assignari, quod ex bonis regiis non praestaretur (*). Mortuo Vladislao IV. viduae eius sumtus ex bonis oeconomicis promi debebant (**), & post Michaelis decessum, Reginae Eleonorae, quod ex bonis sui dotalitii nihil recipere poterat, ex oeconomicis in annum unum, si interregnum tam diu duraret, ducenta florenorum millia constituebantur (***). Eandem summam ex bonis oeconomicis Ioannes III. post Michaelem electus, in suis pactis probavit, ut tamen ex illa subtraheretur, quicquid Reginae ex bonis dotalitii sui obventurum esset (****). Reginae Ludovicae, quae secundo matrimonio Ioanni Casimiro nupserat, cuius dotalitii maxima pars duabus *advitalitatibus* onerata dicebatur, in supplementum ex primum vacaturis, in regno & Litvania bona regia, quorum reditus sexaginta millia florenorum, & quidem in regno quadraginta, in Litvania viginti millia efficerent, concedebantur; quod tamen supplementum cessare debebat, quam primum Regina ad integri dotalitii usum perveniret (†).

(*) Constit. a. 1609. Vol. Const. p. 893. tit. Oprá-wá & constitut. a. 1638. 1646. 1670. ad §. praecedentem citatae.

(**)

(**) Konfeder. gener. a. 1648. §. Strzegąc dignitatem.

(***) Konf. gener. a. 1674. §. Consulendo dignitati Reipublicae.

(****) P. C. Ioannis III. §. Iako na przeszley konwo-kacy.

(†) Constit. a. 1649. p. 7. tit. Opatrzienie stołu.

§. XIV.

Quando bona dotalitii possessoribus vacua, administrantur illa Reginae nomine a nobilibus indigenis, quibus possessiones sunt, & quidem, quae in regno sita, a Polonis, quae in magno ducatu, a Litvanis, quae in Prussia, a Prussis (*): Iudicia tamen Regis auctoritate & modo quo solent exercentur; simul quarta Ravam, & ex bonis Litvaniae donativum in thesaurum magni ducatus infertur (**). Nec hoc silentio transmittendum, quod, cum dotalitium in bonis regni constituitur, Ioannis III. coniugi etiam ex oeconomicis Dirfaviensis tenuta assignata sit, ea conditione, ut post Reginae mortem ad Regis mensam redeat (***). Praecesserat exemplum in dotalitio Constantiae, posterioris Sigismundi III. uxoris, cui in Litvania ex oeconomicis bona quaedam erant concessa, quod iuribus oeconomicarum nihil derogare debebat (****).

(*) Constitutiones de dotalitio antea allegatae.

(**) Vid. eadem de dotalitio constitutiones.

(***)

(***) Constit. a. 1678. tit. Opráwá p. 5.

(****) Constit. a. 1632. tit. Opatrznie. p. 8.

§. XV.

Regina ante Regem moriente, dotalitium lege tollitur (*). Si superstes, fruitur illo per omnem vitam, quamdiu Regina Poloniae & intra regni aut Litvaniae fines manet (**). Hinc Eleonora Michaelis vidua redditibus suis excidit, cum Austriam repeteret, & per alteras cum Duce Lotharingiae nuptias Poloniae Regina esse definirer. Maria post mariti Ioannis III. obitum Romam abiit, salvis tamen redditibus suis, quod consensum Reipublicae rogaverat, & ut sibi iuribus suis frui liceret (***). Absens iam ultra decennium, a. 1710. novum impetrabat consensum (****). Nec Vladislai IV. vidua per alterum matrimonium dotalitium amisit, quia Ioanni Casimiro successori nupsit. Singularis erat conditio; prioris Sigismundi III. uxoris dotalitio adiecta, ut Regina illo suo tempore fueretur, si Rex ad vitae finem regno praecesset; (†) & ideo erat adiecta, quia Sigismundus III. suspitione laborabat, ac si Sveciam praelaturus, Poloniam in alium transmittere veller. Caeterum Reginae soboli aut eius cognatis, in bona dotalitii nullum est ius, neque redditus aliis, quam ipsi Reginae, numerantur (†*).

(*) Constit. a. 1607. Vol. Constitut. p. 837. tit. Zniesienie opráwy. Constitut. a. 1647. p. 4. tit. Znie-

Zniesienie reformacyi Constit. a. 1632. tit. Opatrzenc. p. 4.

(**) Constitutiones de dotalitio iam citatae.

(***) Zal. Epist. T. II. p. 511.

(****) Poparc. gener. Sand. Konfed. a. 1710. p. 69. tit. Pozwolenie.

(†) Vol. Const. p. 641. tit. Opráwá.

(†*) Constitutiones de dotalitio aliquoties allegatae.

§. XVI.

Vidua Regina potest arcem aliquam in bonis sui dotalitii legere, ubi aulam habeat: non enim certam sedem ipsi leges constituunt, nisi quod de aula Eleonorae decretum, ut vel Posnaniae, vel Thorunii, vel Grodnae, vel alio loco, Cracovia tamen excepta, ágeret (*). Placuit Reginae Thorunium, ubi menses aliquot substitit, donec ex Polonia discederet. Mariae, quae Ioannis III. vidua, praesentiam, comitiorum convocationis tempore Varaviae Ordines non ferebant, quia eius ingenium: formidabatur (**). Haec nullibi stabilem sibi sedem deligens, tertio viduitatis anno Polonia excessit, neque rediit.

(*) P. C. Ioannis III. in fine §. Iako na przeszley.

(**) Zal. Ep. T. H. p. 105.

§. XVII.

Reginae mortuae, Cracoviae in aede S. Stanislai,

